SHOUT
SHARE
IT

Wandsworth

S1802-D4

MÉMOIRES

DES

SAVANS ÉTRANGERS.

TOME IV.

Wandsworth
S. 1802 D. 4.

MÉMOIRES

PRÉSENTÉS A

L'ACADÉMIE IMPÉRIALE DES SCIENCES

DE

S^{T}-PÉTERSBOURG.

PAR

DIVERS SAVANS

ET LUS DANS SES ASSEMBLÉES.

TOME IV.

SAINT-PÉTERSBOURG,
DE L'IMPRIMÉRIE DE L'ACADÉMIE IMPÉRIALE DES SCIENCES.
1845.

Se vend chez Graeff héritiers, libraires, Comissionaires de l'Académie, perspective de Nevsky, No. 2.
et à Leipzic chez Léopold Voss.
Prix 5 Roubles d'argent pour la Russie; 6 Thlr. 11 Gr. pour l'étranger.

PUBLIÉ PAR ORDRE DE L'ACADÉMIE.

En mars 1845.

Le Secrétaire perpétuel P.-H. FUSS.

NATURAL HISTORY

MÉMOIRES

PRÉSENTÉS À

L'ACADÉMIE IMPÉRIALE DES SCIENCES

DE

SAINT-PÉTERSBOURG

PAR

DIVERS SAVANS,

ET LUS DANS SES ASSEMBLÉES.

TOME QUATRIÈME.

1ère & 2ème LIVRAISONS.

SAINT-PÉTERSBOURG,
DE L'IMPRIMERIE DE L'ACADÉMIE IMPÉRIALE DES SCIENCES.
1837.

Se vend chez GRAEFF, libraire, Commissionnaire de l'Académie, perspective de Nevsky, N°. 2.
et à Leipzic chez LÉOPOLD VOSS.

Publié par ordre de l'Académie.

En Octobre 1837.

Le Secrétaire perpétuel P.-H. Fuss.

SYMBOLAE

AD

MONOGRAPHIAM STAPHYLINORUM.

SCRIPSIT

D. ALEXANDER NORDMANNUS,

ZOOLOG. ET BOTAN. PROFESSOR IN LYCEO ODESSANO, HORTI ODESS. DIRECTOR,
ACAD. IMP. SCIENT. PETROPOL. MEMBRUM, REL.

(Conv. exhib. d. 22 Januar. 1836.)

Hoc labore, quem nunc edituri sumus, prima tantum Brachelytrorum tribus continetur, ea quae a Latreillio *Fissilabra* nuncupatur. Quod nomen etiam nunc accommodari potest ad genera quorum numerus post Latreillium magnopere accrevit, atque ad omnia sine ulla exceptione pertinet; idem quatenus in posterum sit valiturum, nunc quidem expectandum est. Namque in nonnullis generibus, quae a me proponuntur, labro ejusque emarginatione evanescente, illa nota vel parum conspicua, vel non ita magni momenti est: velut in Gymnuro, Araeocero, Anodo etc.

In Brachelytris *separatim* describendis *D. Gravenhorstium*[1]) et Illustr. Comitem *Mannerheimium* versatos esse constat, neque sperari potest brevi prodituram esse singularem suisque numeris absolutam scriptionem, Monographiam, de his bestiolis innumeris magnaque parte pusillis. Rem ut saltem inchoarem, jam anno 1830, quum Berolini degerem, Fissilabra singulari scriptione recensere coepi, materia undique collecta; sed quum mox Berolino relicto Odessae domicilium collocarem, opus susceptum intercipiebatur, quo factum est ut equidem rei plene perfecteque tractatae gloriam nequaquam affectans, hoc opusculo non nisi rudimenta quaedam exhibere voluerim. Utinam alicui virorum doctorum, qui majoribus collectionibus entomologicis praesunt, telam a me inchoatam pertexere placeat!

Illustr. Comes Mannerheimius in opere[2]) quod magna assiduitate composuit, quatuordecim fissilabrorum genera recensuit. E quibus genus illud, cui nomen est Emus, propter multas, quas continet formas parum distinctas, (vulgo transitorias vocant) praetermittendum videbatur.

Pariter genera Leacheana, quae in *Stephensii* catalogo[3]) enumerantur, quum nomina illa omni sensu careant neque quidquam significent, veluti: *Goërius, Tasgius*, *Raphirus*, *Bisnius*, *Gabrius*, *Othius* et *Cafius*, atque temere ficta videntur, vel rejeci, vel tantum in transcursu commemoravi, vel pro iis saniora et aptiora proposui.

Genera, quae inter Fissilabra retuli, sunt triginta, qui numerus cuivis materiam a me comparatam perlustranti potius justo minor quam major videatur. Nova genera certis signis notata sunt et species ita ut dignosci possint, a me descriptae, exceptis tantum iis, quarum descriptionem prorsus egregiam *Gyllen-*

---

[1]) Coleoptera Microptera Brunsvicensia 1802. Monographia Coleopterorum micropterorum 1806.

[2]) Precis d'un nouvel Arrangement de la famille des Brachélytres in Actis Acad. Scient. Petropol. 1830.

[3]) A systematic Catalogue of British Insects by *James Francis Stephens* 1829.

halii sollerti diligentiae debemus[1]). Ubi species aliqua Gravenhorstiana, ita ut dubitari non posset, mihi praesto erat, id quod in collectionibus *Knochii, Helvigii* et *Hoffmannseggii* mihi contigit, denuo eam describere eo magis necessarium videbatur, quod descriptiones Gravenhorstianae non semper satis accuratae sunt. Nam speciebus intermediis ponendis facillime confusio oritur, atque quanta sit cautio adhibenda in citandis auctoribus, promptum apertumque est. Accedit quod differentiae nonnullae adhuc exstent non negligendae inter species ab Gyllenhalio et Gravenhorstio eodem nomine notatas. Praeterea minim; laudanda est ratio eorum, qui catalogos citant, nil nisi nomina continentese quod Entomologi quidam sibi indulserunt in Catalogo Illust. Comitis *Dejeanii* praestantissimi illius Coleopterorum scrutatoris.

Genera Creophili, Staphilini, qui proprie sic dicitur, et Philonthi carent notis idoneis, quibus diligenter separentur. Paucae illarum, quae in Europa inveniuntur, species aliquas saltem prae se ferunt notas, quibus ad genera sua referri possunt; sed exoticae illae innumerae species vix habent, unde quis certa discriminis signa desumere possit. Nihil igitur reliqui videtur, nisi quod genera magis etiam eliceantur, ut jam a *Leachio* significatum est, cuique rationi materia abunde suppetit.

Staphilinum versicolorem et infuscatum qui novit, (nomine generico Discocephalo olim a me salutatos) ne forte miretur, eos a ceteris confinibus nunc non esse disjunctos paullo diligentius ostendat formas eorum transitorias. Attamen, ut nonnulla discriminis signa magis conspicua oculis subjicerem, in tabula prima palpos et antennas delineavi. In schemate a me proposito, cujus rationes et causas oris conformatio vel instrumenta cibaria secundum leges quasdam stabilitas suppeditare debebat, signa characteristica, quo facilius oculis animisque comprehenderentur, quam potui brevissime exhibui. Ceterum, non dissimulo generum inter se cognatorum arctiorem apparere propinquitatem, si fieri possit ut habitus eorum universe consideretur, orisque conformatio nimis respiciatur.

---

[1]) Insecta Svecica. T. I — IV. 1810 — 1827.

Superest ut Entomologis, quicunque Staphylinis, quos in collectionibus suis servant, mecum communicandis, opus a me susceptum adjuverunt, quam maximas agam gratias, praecipue autem D. *Klugio*, Musei Entomologici Berolinensis Directori celeberrimo, cujus humanitate Staphylinos, qui in locupletissima illa collectione exstant, cognoscere licuit. Grato quoque animo commemorandi nostrates dilectissimi *Stevenius*, Sympheropoli in Taurico-Chersoneso, Comes *Mannerheimius* Wiburgi et Prof. *Sahlbergus* Helsingforsiae in Fennia, porro D. D. *Schüppelius*, *Reichius*, *Burmeisterus*, *Erichssonus*, *Ruthius*, *Du Boisius* et *Weberus* Berolini, D. *Aug. Ahrensius* Hettstadii, D. I. *Sturmius* Norimbergae, D. *Winthemius* Hamburgi, D. C. *Zimmermannus* in America boreali et D. *Wiedemannus* Constantinopoli habitantes.

BRACHELYTRA Cuv.

Tribus Prima

FISSILABRA Latr.

Familia Prima

Staphiliniformes.

I. PALPI LABIALES ARTICULO ULTIMO DILATATO.

A. Palpi maxillares filiformes.

  1. Collum distinctum.

    a. Antennae breves.

      α. Antennae articulo ultimo sub-orbiculato, obtuso. Palpi labiales semilunati . . . . *Oxyporus.*

      β. Antennae articulo ultimo emarginato. Palpi labiales triangulares . . . . *Trigonophorus.*

b. Antennae elongatae.
 † Palpi labiales articulo ultimo inflato, pateriformi. Mandibulae breves, dentatae . . . . *Tympanophorus.*
 †† Palpi labiales truncatae. Mandibulae elongatae, edentatae . . . . *Anodus.*
 γ. Antennae articulo ultimo ovato-acuminato
  Palpi labiales securiformes . . . . *Pelecyphorus.*
2. Collum capite cohaerens . . . . *Physetops.*
B. Palpi maxillares et labiales securiformes . . . . *Astrapaeus.*

II. PALPI MAXILLARES ET LABIALES FILIFORMES.

A. Antennae inter oculos insertae.
1. Thorax latus, transversus, dilatatus.
 α. Antennae serratae, corpus convexum . . . . *Velleius.*
 β. Antennae sub-filiformes, corpus deplanatum, pedes compressi . . . . *Cordylaspis.*
2. Thorax semi-orbiculatus vel quadratus.
 a. Antennarum articulo ultimo 3-cuspidato . . . . *Triacrus.*
 b. Antennarum articulo ultimo emarginato.
  † Thorax et caput glabra . . . . *Creophilus.*
  †† Thorax crebre punctatus . . . . *Staphilinus.*
  ††† Thorax punctis paucis vel seriatim punctatus . . . *Philonthus.*
 c. Antennarum articulo ultimo integro.
  * Antennae haud fractae . . . . *Gyrohypnus.*
  ** Antennae fractae . . . . *Acylophorus.*
B. Antennae ante oculos insertae.
1. Tarsi antici haud dilatati.
 a. Antennae et palpi breves . . . . *Eulissus.*
 b. Antennae et palpi elongati . . . . *Belonuchus.*

2. Tarsi antici dilatati.
    α. Collum angustum . . . . *Brachydirus.*
    β. Collum latum capite cohaerens . . . . *Platyprosopus.*

Familia secunda.

Platycnemidiformes.

Palpi breviusculi, subfiliformes, pilosissimi. Antennae breves lanceolatae. Pedes breviusculi, compressi, latiusculi, articulis brevissimis . . . . *Platycnemus.*

Familia tertia.

Tachyporiniformes.

Articuli ultimi palporum subulati . . . . *Trichopygus.*

Familia quarta.

Lathrobiiformes.

1. Corpus convexum.
    a. Absque alis . . . . *Adelobium.*
    b. Antennae haud fractae . . . . *Lathrobium.*
    c. Antennae fractae . . . . *Cryptobium.*
2. Corpus deplanatum . . . . *Archenium.*

Familia quinta.

Pinophiliniformes.

Palpi inaequales. Antennae elongatae, extrorsum valde tenues. Clypeus evanescens. Labrum brevissimum, vix emarginatum. Pedes antici coxis femoribusque valde incrassatis; posteriores graciles. Tarsi antici valde dilatati, articulis singulis sub-foliaceis, lobatis, articulo quarto abscondito tertio adhaerente.

Genus Pinophilus Lathrobio affine, Araeocerus quodammodo Staphylino (Anodo), Gymnurus habitu alieno generi Leptocheiro (Zirophoro) nonnihil vicinum.

1. Thorax et elytra convexa . . . . *Pinophilus.*
2. Thorax convexus elytra deplanata . . . . *Araeocerus.*
3. Thorax planus elytra convexa . . . . *Gymnurus.*

Familia sexta.

Agraeformes.

Palpi breviusculi, inaequales. Antennae flagelliformes, fractae. Thorax elongatus antice valde elongatus. Collum minimum, brevissimum. Pedes valde tenues.

1. Palpi filiformes . . . . *Agrodes.*
2. Palpi labiales truncatae . . . . *Araeocnemus.*

1. OXYPORUS Fabr.

1. O. *rufus* L. Gyll. II. p. 442.
Habitat fere ubique in Europa.

2. O. *maxillosus* Fabr. Grav. Micropt. p. 152.
Hab. in Gallia, Suecia, Germania etc.

3. O. *Schoenherrii* Sahlberg Insecta fennica[1] p. 406.
Hab. in Fennia.

4. O. *Mannerheimii* Billberg. Gyll. IV. p. 495.
Hab. in Fennia.

Observ. Oxyporus Schoenherrii et Mannerheimii utpote rarissimos, nec non species exoticas a D. Gravenhorstio descriptas, velut: *O. malor, lateralis, exelatus, villatus, femoralis* et *cinctus* mihi non contigit examinare, manum igitur de tabula.

---

[1] Insecta fennica, dissertationibus academicis. A. 1817 — 1834 editis, enumerata a *C. R. Sahlberg*. P. I. Helsingforsiae 1834.

2. TRIGONOPHORUS1) Nordm.

Palpi sub-elongati; maxillares omnino ut in Creophilo; labiales 3-articulati, articulo 1. breviusculo, sub-lineari, extus vix crassiore; 2. etiam breviusculo, obconico, intus apice fasciculo piloso ciliato; 3. ceteris majore et crassiore, clavato, triangulari, securiformi, versus apicem latiore, basi tenui, latere exteriore convexo, apice convexo, truncato.

Antennae sub-elongatae, extrorsum et praesertim versus medium incrassatae, articulo primo sub-elongato, extrorsum crassiore; 2. brevissimo; 3. obconico elongato; 4. globosiusculo; sequentibus granulato-campanulatis; ultimo ovato, apice emarginato.

Caput magnum.

Pedes validi, tibiis minus spinosis quam ciliato-pilosis. *Statura* lata et obtusa.

Habitus inter Creophilum et Staphylinum.

T. myrtillinus Nordm.

Coeruleus, nitidus; capite et thorace subtile punctatis; elytris opacis, obscure violascentibus, sub-velutinis; alis ochraceo-fuscescentibus. Long. 9‴.

Descr. Caput magnum, porrectum, mandibulis clausis, thorace haud brevius, ovatum, basi attenuatum, supra convexum, viridi-coeruleum, nitidum, punctis inaequalibus majusculis tamen rarius impressum.

Clypeus brevis, albido-testaceus.

Labrum piceum, nigro-ciliatum.

Palpi et mandibulae nigro-picei.

Oculi majusculi, sub-rotundati, sub-depressi, in mortuo glauci.

Antennae capite paullo longiores, articulis 3 basalibus nigro-piceis, sequentibus fusco-pubescentibus.

---

1) A τρίγωνον — φέρειν.

Thorax longitudine capitis et vix eo latior, antice sub-emarginatus, angulis paullo porrectis, deflexis, compressis, lateribus sub-rotundatis, fere rectis, basi antice haud latior, obtuse rotundatus; supra convexus, tenue marginatus, viridi-coeruleus, vialaceo-micans, nitidus, subtile punctulatus et praeterea versus medium disci in limbo antico punctis haud numerosis majusculis absque ordinis impressis; in medio a basi usque ad medium dorsi et ultra linea laevi impunctata.

Scutellum depressum, nigro-coeruleum, atro-velutimum, obsolete punctatum.

Elytra thorace multo latiora et longiora, apice vix oblique truncata, quadrata, sub-depressa, obscure violacea, opaca, velutina, obsolete punctulata.

Alae ochraceo-fuscescentes.

Corpus reliquum cum abdomine lato supra et subtus nigro-coeruleum, nitidum, subtiliter punctulatum, tenue nigro-pubescens.

Pedes validi, elongati, nigro-coerulescentes tibiis pilosiusculis.

Tarsi antici in utroque sexu valde dilatati, supra nigro-picei, subtus testacei, spongiosi.

Habitat in Brasilia. D. ab Olfers. (Mus. Reg. Berol.)

3. TYMPANOPHORUS[1]) Nordm.

Corporis statura Staphylinorum minorum (Philonthorum).

Palpi breviusculi maxillares, articulo basali brevissimo; secundo elongato; tertio praecedenti paullo breviore, obconico; ultimo breviore, tenuiore, ovato, acuminato, fere subuliformi: *labiales* articulo primo brevissimo, teretiusculo; secundo haud longiore sed latiore; tertio sane *incrassato*, *inflato*, pateriformi, apice truncato, membrana tenerrima extensa instructo, tympani instar.

Labium porrectum, membranaceum. *Mentum* brevissimum, transversum, subemarginatum.

---

1) A τυμπανον — φέρειν.

Antennae sub-elongatae, validae, extrorsum paullo incrassatae, breviarticulatae; articulo primo longitudine duorum sequentium conjunctorum; secundo dimidio breviore, obconico; tertio fere secundi longitudine; obconico; reliquis breviusculis, campanulatis, singulis sensim paullo latioribus; ultimo apice emarginato, acumine relicto minuto.

Labrum transversum; angustum membranaceum, medio vix incisum, antice pilosum.

Mandibulae breviores, sed validae, dentatae, acutae.

Caput rotundatum, collo distincto, oculis majusculis oblongis.

1. *T. canaliculatus* Nordm.

Unicolor niger, crebre punctatus; thorace postice canaliculato; segmentorum marginibus anoque piceo-ferrugineis.

Descr. Species magnitudine mediocri, longitudine linearum 6.

Caput minusculum, thorace angustius, rotundatum, modice convexum, antice leviter impressum, totum crebre et profunde punctatum, nitidum, sub-pubescens, versus basin areola laevi nitida. *Labrum* et mandibulae piceae. *Palpi* nigricantes, apice picei. Antennarum articuli priores duo obscure picei, sequentes duo nigri, nitidi, reliqui fusco-pubescentes, ultimus ferrugineus.

Thorax ovatus, capite longior et latior, modice convexus, antice perparum emarginatus, angulis obtusis, lateribus et basi rotundatis, tenerrime marginatis; supra crebre profundeque punctatus, medio tamen linea laevi, postice longitudinaliter impressa.

Scutellum oblongum, triangulare, punctatum, pubescens.

Elytra thorace latiora et longiora, nigra, supra plana, dense punctata, subnitida, fusco-pilosa. *Alae* valde obscure nigro-fuscae.

Pectus parum punctatum, pilis fuscescentibus flavescentibusque indutum. *Abdomen* corpore anteriore longius et fere latius, totum vage punctatum, punctis segmentorum anticis profundioribus, segmentis ipsis omnibus truncatis rufescenti-marginatis, fusco-pilosis, ano toto obscure ferrugineo.

Femora nigra, nitida. *Tibiae* et tarsi nigro-picei, flavo pilosi. Tarsi antici dilatati.

Marem non vidi.

Habitat in Brasilia australiore. Mus. Berol.

4. ANODUS[1]) Nordm.

Palpi breviusculi; *maxillares* omnino ut in Staphylino; *labiales* articulis basalibus brevibus, ultimo paullo incrassato, apice distincte truncato.

Mandibulae sub-elongatae, haud validae, falcatae, sub-tenues, *edentatae,* ad basin nonnihil coarctatae, unde forma singularis.

Clypeus brevissimus. *Labrum* breviusculum, emarginatum. *Antennae* elongatae, filiformes, extrorsum tenuiores: articulo primo reliquis longiore, apice sub-crassiore; secundo brevissimo; tertio iterum longiore; reliquis cylindraceis, sub-linearibus et sensim brevioribus; ultimo apice oblique emarginato.

Caput magnum, transversum, oculis parvis haud prominulis. *Collum* distinctum.

Thorax sub-elongatus, quadrangulus, postice paullo attenuatus

Corpus et pedes ut in Staphylino.

1. *A. Messor* Nordm.

Elongatus, niger, sub-nitidus; capite thorace et elytris viridi-coerulescentibus; antennarum basi, palpis pedibusque rufis.

Descr. Long. extens. max. 9½‴.

Caput mandibulis apertis quadrangulare, transversum, longitudine latius, angulis posticis rotundatis, supra convexum, crebre et forte punctatum, nitidum, tenue, pubescens, in medio laeve; subtus nigro-piceum, nudum, nitidum, vage-punctatum. *Clypeus* minus distinctus et labrum brevissimum piceum. *Os* palpi et stipitis palporum rufo-ferruginea. *Maxillae* fulvescentes. *Mandibulae* nigrae. *Oculi* minuti, rotundati, nigricantes. *Antennae* capite fere duplo longiores, tenues, articulis tribus basalibus obscure rufis, glabris, sequentibus fusco-pubescentibus. *Collum* angustum, nigro-aenescens, subtiliter punctulatum, postice punctis duobus impressum. *Thorax* capite multo angustior, sed paullulum longior, antice truncatus et nonnihil latior quam basi, angulis anticis inflexis, rectis, lateribus obliquis, postice obtuse rotundatus; supra convexus, coeruleus, paullo virescens, nitidus, crebre et forte punctulatus, vix pubescens, in medio longitudinaliter laevissimus et nitidus.

---

[1]) Ab *ἄνοδους*.

Scutellum depressum, nigrum, sub-opacum, subtiliter punctulatum.

Elytra thorace paullo latiora, sed haud longiora, apice minus oblique truncata, supra plana, coeruleo-virescentia, creberrime et subtiliter granulato-punctata, sub-nitida, tenuissime pubescentia.

Abdomen pone elytra reliquo corpore fere dimidio longius, valde elongatum, nigerrimum, sub-nitidum, subtiliter et obsolete punctulatum, tenue pubescens.

Corpus subtus nigrum, nitidum, subtile punctulatum, tenue pubescens.

Pedes cum coxis obscure rufi, tibiis spinulis brevissimis armatis, tarsis anticis in utroque sexu dilatatis.

Habitat in Italia, Sicilia prope Palermo ubi a D. Dahl inventus fuit. (Mus. Reg. Berol.)

NOTA. Forsan haec species a D. Dahl plurimis Entomologis nomine „*coeruleipennis*“ communicata est. Staph. coeruleipennis Mannerh. l. cit. p. 27 n. 43 ad Philonthum spectat, vide St. cyanipennis Grav.

2. *A. falcifer* Nordm.

Niger, capite et thorace viridi-coerulescentibus, elytris coeruleis, palpis labialibus piceis, antennarum basi pedibusque pallide rufo-testaceis, segmentis abdominalibus piceo-ferrugineis.

St. coeruleipennis Dahl.

Desc. Praecedenti simillimus et valde affinis, haud angustior sed plerumque brevior long. c. 6‴. *Caput*, collum et thorax omnino ut in praecedente. *Clypeus* piceus, *labrum* piceo-ferrugineum. *Palpi* maxillares pallide rufo-testacei, labiales praesertim articulis ultimis obscurioribus, picescentibus.

Antennae basi rufo-testaceae, extrorsum fusco-pubescentes. *Elytra* obscure coerulea, crebre et subtile granulato-punctulata, sub-opaca, marginibus inflexis tenuissime ferrugineis. *Alae* albo-hyalinae. *Abdomen* pone elytra longitudine reliqui corporis, nigrum, sub-nitidum, obsolete punctulatum. *Corpus* subtus nigro-piceum, fere nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum, tenue pubescens, segmentorum ventralium marginibus tenue ferrugineis. *Pedes* dilute rufo-testacei.

Mas segmento ultimo paullo emarginato.

Habitat in Italia. D. Dahl. (Mus. Reg. Berol.)

3. *St. morio*, Knoch, Grav. Gyll. IV. p. 473.

Habitat in Europa.

NOTA: Constructione palporum, forma et statura, per St. nigripedem transitum ad Staphylinos genuinos facit.

5. PELECYPHORUS[1]) Nordm.

Palpi inaequales: Maxillares tenues, filiformes articulo 1. brevi, 2. et 3. aequalibus sub-obconicis, ultimo paullo elongato, ovato, acuminato. Labiales maxillaribus vix breviores, articulis basalibus perbrevibus, sub-linearibus, 3. ceteris multo majore, extus latiore, securiforme, convexo-truncato.

Antennae elongatae, capite duplo longiores, tenues, filiformes, extus haud incrassatae, articulo primo elongato, sub-clavato, 2. perbrevi, 3.

---

1) Α πέλεκυς — φέρειν.

paullo longiore sub-cylindrico, sequentibus sensim campanulatis, ultimo ovato-acuminato.

Caput parvum. *Oculi* magni, oblongi. Mandibulae arcuatae, acutissimae.

Thorax magnus, semi-orbiculatus.

Pedes mediocres.

Statura et habitus inter Philonthos seriebus dorsalibus 3 punctatis et Astrapaeum.

1. *P. picipes. Oxyporus picipes* Gyll. II. 442.

Niger nitidus; ore antennarumque basi rufis; elytris rugoso-punctatis; pedibus rufo-piceis. Long. $4\frac{1}{2}'''$.

Habitat in Germania et Suecia. (Collect. mea).

---

6. PHYSETOPS Mannerh.

Palpi inaequales; Maxillares filiformes, articulo primo minuto, 2. elongato, sub-clavato, 3. paullo breviore, 4 precedente paullo tenuiori, breviore, sub-cylindrico, apice truncato. Labiales triarticulati, articulis basalibus minutis, ultimo crassiore, praecedente duplo latiore, trianguliformi, apice truncato.

Antennae tenues, capite breviores, extrorsum graciles et compressae, articulo primo paullo elongato, sub-clavato, secundo breviore, tertio nonnihil elongato, ceteris sub-aequalibus, sub-campanulatis, ultimo ovato, acuminato.

Caput inflatum collo connexum.

Habitus peculiaris.

1. *Ph. tartaricus* Pallas.

Elongatus, niger, sub-nitidus; elytris reticulato-punctatis. Long. $11\frac{1}{2}'''$, Latitud. $2'''$.

Staph. tartaricus Pallas iter T. II. app. p. 30.

Descr. Magnus, pollicaris et ultra.

Caput maximum, longitudine thoracis et paullo latius, ad basin inflatum, supra valde convexum, nigrum, nitidum, crebre punctatum, punctis intermixtis minutis, pone oculos utrinque puncta 3 — 4 majora longitudinaliter impressa; subtus minus convexum, fere planum, nigrum, nitidum, profunde punctatum.

Collum cum capite cohaerens, in medio linea glabra impunctata, ad latera impressione obsolete limitatum, punctatum.

Clypeus et labrum nigro-picea. Mandibulae nigrae.

Palpi piceo-ferruginei.

Antennae tenues capite cum collo fere breviores, piceae, retrorsum fusco-pubescentes, articulis 3 basalibus nigricantibus, nitidis, articulis ultimis compressis, piceo-rufescentibus.

Oculi oblongi, mediocres, oblique positi, in medio elevato-acuminati, in mortuo glauci.

Thorax antice truncatus et multo latior quam basi, angulis deflexis, subrectis, rotundatis, lateribus versus basin sat emarginatis; postice fere truncatus angulis obtuse rotundatis; supra niger, nitidus, antice praesertim sat convexus, postice et lateribus tenuissime marginatus, crebre punctulatus, medio linea angusta laevi, nitida.

Scutellum sub-elongatum, triangulare, acuminatum, depressum, nigrum, nitidum, subtile et crebre punctulatum.

Elytra thorace latiora et longiora, postice rotundata et oblicata, supra subconvexa nigra, nitida, tenue reticulata, subtile punctulata et praeterea punctis majusculis haud numerosis longisudinaliter flexuose impressa, pube grisea brevissima et haud dense obstrata.

Alae albo hyalinae *Abdomen* pone elytra illis duplo longius, nigro-piceum, nitidum, subtile punctulatum, pubescens. Anus pilosus.

Pedes validi, posteriores paullo elongati, nigro-picei, tibiis praesertim medio dense spinulosis.

Tarsi antici in mare dilatati, subtus fulvescentes, piloselli.

Mas segmento ultimo profunde emarginato.

Habitat in Sibiria meridionali. (Mus. Reg. Berol.)

7. ASTRAPAEUS Grav.

Palpi aequales, articulis basalibus minutis; sequentibus paullo majoribus, sub-clavatis; ultimis dilatatis securidaceis.

Antennae mediocres, filiformes, articulo secundo tertio vix breviore; ultimo ovato-acuminato.

Oculi majusculi, oblongi. *Thorax* magnus semi-orbicularis. *Tarsi* antice dilatati.

Habitus et statura omnino ut in Philonthis 3 punctatis.

1. *A. Ulmi.* Grav. Micropt. p. 199.

Habitat in Europa meridionali.

8. VELLEJUS Leach.

Palpi fere ut in Staphylino.

Antennae haud elongatae, articulo primo longo, secundo breviore, tertio elongato, obconicis; sequentibus coarctatis, intus productis ecuminatis unde serratis; articulo ultimo minore, ovato, sub-acuminato.

Thorax amplus, limbo laterali et postico explanato depresso.

Pedes validi, tarsis anticis dilatatis.

Habitus inter Creophilum et Platycrumidem.

1. *Dilatatus* Fabr. Gyll. II. p. 299.

Habitat in Anglia, Gallia, Germania, Suecia etc.

9. CORDYLASPIS1) Nordm.

Palpi sub-elongati, articulis basalibus minutissimis; sequentibus paullo elongatis extus subclavatis, pilosis; ultimis subuliformibus apice acuminatis.

Antennae mediocres, compressae, sub-filiformes extrorsum tenuiores, valde pilosae et pubescentes, ante oculos insertae; articulo primo crasso, subcylindrico reliquisque majore; secundo breviore; tertio elongato; sequentibus sensim minoribus sub-quadrangulis; ultimo minuto, ovato, apice oblique sub-emarginato.

Mandibulae breviusculae, tenues, falcatae, acutae.

Mentum truncatum. Maxillae lacinio externo elongato, longitudine fere palporum maxillorum.

Caput rotundatum, minutum.

Thorax maximus, dilatatus, transversus, longitudine multo latior.

Corpus latum, sat depressum.

Pedes latiusculi, compressi.

Habitus peculiaris et insignis, Velleio si vis proximus. —

1. *C. tuberculatus* Nordm.

Rufo-piceus, setosus, capite et thorace aeneo-coerulescentibus vage punctatis, nitidis; elytris fusco-rufescentibus, creberrime et subtiliter punctatis et vage tuberculatis; ano rufescente.

Descr. Insectum singulare, long. $5\frac{3}{4}'''$ lat. $2\frac{1}{3}'''$.

Caput maxillis exceptis transverso-ovale, apice tamen magis quam basi coarctatum, thorace multo minus, supra convexum, nigro-coerulescens, nitidum, vage punctatum, nigro-setosum, subtus nigro-piceum, nitidum, nudum punctatum. *Clypeus* albicans. *Labrum* rufo-piceum, incisum, fusco ciliatum.

Stipites palporum et palpi rufo-ferruginei.

Maxillae fulvae, porrectae, palpiformes.

---

1) A κορδύλη et ἄσπις.

Mandibulae versus apicem tenues, arcuatae acutae, nigrae.

Antennae longitudine capitis, basi pilosae extrorsum pubescentes, rufo-ferrugineae.

Oculi mediocres, parum convexi, sub-reniformes, in exuviis brunnei.

Collum distinctum vel valde breve et angustum, nigrum, nitidum, laevissimum.

Thorax amplus, transversus, capite multo major et latior, latitudine dilatatus, quadrangulus, antice emarginatus, angulis minus inflexis, paulo porrectis, rectis, lateribus distincte rotundatis, angulis basalibus obtusis, postice valde obtuse rotundatus, supra praesertim versus partem anteriorem in medio sat elevatur et convexus, lateribus dilatatis et basi declivibus et sub-impressis, postice tenue marginatus; totus aeneo-coerulescens, nonnihil violaceo micans, nitidus, laevis, punctis haud profundis vage seriatimque setiferis impressis. Serius haec in disco regulares sunt, versus angulos anticos iregulares evadunt, ubi praeterea punctura crebrior cernitur. Latera pilis longiusculis, nigris, rigidis ciliata.

Scutellum depressum, triangulare, piceo-castaneum, subtiliter punctulatum.

Elytra thorace haud latiora et longiora, apice sat oblique truncata, transversa, longitudine latiora, supra plana, piceo-castanea, sub-nitida, crebre et subtiliter punctulata tuberculis vage dispositis, fusco-pubescentia, lateribus nigro-pilosis.

Abdomen pone elytra illis dimidio longius, latum, planum, depressum, lateribus elevatis, apice sub-attenuatum, piceo-castaneum, nitidum, creberrime et subtilissime punctulatum, pubescens, segmento ultimo reliquis longiore et toto ano rufo-testaceis.

Corpus latum subtus piceo-castaneum, nitidum, punctulatum, rufescenti-pubescens et nigro-pilosum, segmentorum marginibus rufescentibus.

Pedes mediocres, femoribus et tibiis latiusculis, compressis, his ciliatis et spinosis, piceo-castaneis. *Coxae* anticae extrorsum valde incrassatae, convexae, fusco-pubescentes. *Tarsi* antici (apud feminam) coarctati et dilatati, fulvo-ciliati.

Habitat **in Sumatra. (Mus. Reg. Berol.).**

10. TRIACRUS[1] Nordm.

Palpi sub-elongatuli, structura et forma ut in Emo, articulo secundo et tertio longitudine aequalibus, extrorsum nonnihil incrassatis, clavatis; ultimo reliquis tenuiore, vix breviore, in maxillaribus apice sub-acuminato, labialibus sub-truncato.

Antennae breves, validae, extrorsum crassiores, sub-serratae: articulo primo duobus sequentibus aequali; clavato; secundo brevissimo, obconico; tertio sub-elongato obconico; quarto globoso; sequentibus sensim latioribus, trianguliformibus, latere interno paulo producto, inferne sensim paulo excavato, unde utrinque acumina formantur, ab articulo decimo evidenter jam conspicua, articulo ultimo a latere valde profunde emarginato, inferne reliquis magis excavato, *tricuspidato*, apicibus pilis brevibus instructis. *Oculi* reniformes.

Mandibulae validissimae, dentatae.

Collum distinctum. *Thorax* latus. *Elytra* latiuscula, supra fere plana, quadrata.

Pedes validi, tibiis hirsutis, tarsis anticis in mare dilatatis.

Habitus et Statura inter Vellicum, Emum et Staphylinum.

1. *Tr. dilatus* Leach.

Niger, sub-nitidus, capite et thorace coerulescentibus, elytris myrtillinis, punctatis, summo apice segmenti ultimi anoque rufo-ferrugineis.

Descr. Maximus, pollicaris et paulo ultra, apice elytrorum lat. $3\frac{1}{2}''$.

Caput magnum, transversum, quadrangulum, thorace antico paululum latius, apice haud attenuatum, supra modice convexum, obscure coeruleo-virescens, nitidum, tenue pubescens, versus latera praesertim crebre punctatum, intermixtis punctis subtilissimis, medio sincipitis et occipitis laevi et haud punctato; subtus nigrum, glabrum, nitidum, vage et subtiliter punctulatum.

---

1) A τρεῖς ἄκρα.

Clypeus medio piceus, lateribus testaceis.

Labrum nigrum, margine exteriore nigropiceum, ciliatum. *Palpi* nigro-picei. *Oculi* mediocres, subreniformes, haud convexiusculi, in exuviis nigricantes.

Antennae validae, capite perparum longiores, articulis quatuor basalibus nigris, sequentibus fusco-pubescentibus, articulo ultimo apice profunde emarginato, lunulato.

Collum distinctum, minus angustum, coerulescens, nitidum, lateribus punctatis.

Thorax quadrangulus, totus antice sub-emarginatus, angulis deflexis, acutis, paulo porrectis, lateribus sub-obliquis, rotundatis, ad basin perparum sinuatis unde anguli obtusi formantur, postice valde obtuse rotundatus, fere truncatus, supra versus marginem anticum transversim fornicatus, basi nonnihil dilatatus et minus declivis, tenuissime marginatus, obscure coeruleo-virescens, nitidus, versus discum haud crebre, ad latera tamen crebrius punctis minutis piliferis impressus, in medio dorsi late impunctatus, laevis, nitidus.

Scutellum triangulare, apice obtusum, nigro-sub-coerulescens, creberrime et subtiliter punctulatum.

Elytra lata, quadrata, thorace paulo latiora et evidenter longiora, apice extrorsum obtuse rotundata, introrsum minus oblique truncata, supra fere plana, obscure coeruleo-violascentia, myrtillina, confertissime et subtilissime punctata, pube brevissima, nigra, rigida dense obstrata, apice nigro-ciliata.

Alae amplae et longae, abdomine longiores, obscure fuliginoso-violascentes.

Abdomen elytris vix duplo longius, nigrum, nitidum, pubescens, crebre punctatum, margine segmenti ultimi anoque toto rufo-ferrugineis.

Corpus reliquum subtus nigrum, nitore et punctura abdominis atque pectore densius pubescente, segmentis abdominalibus nonnihil aeneo- et violaceo-micantibus.

Pedes validi, nigri, tibiis spinulosis et hirsutis, tarsis anticis in mare dilatatis, supra nigris, subtus fusco-fulvescentibus spongiosis.

Segmentum ultimum profunde emarginatum. Feminam non vidi.

Habitat in Brasilia O. Langsdorff. Individuum unum nomine Staph. dilato a D. Leach Mus. Berol. communicatum.

---

11. CREOPHILUS Kirby.

1. *Cr. maxillosus. L.*

Niger, nitidus; elytris obdomineque cinereis nigro-maculatis; ventre albido; alis albo hyalinis.

Staphyl. maxillosus Auct.

Habitat per totam Europam septentrionalem et meridionalem nec non in Sibiria et Amer. boreal.

2. *Cr. villosus* Gran.

Niger, nitidus; elytris abdomineque cinereis nigromaculatis; capite basi, collari, thoracis limbo antico, pectore abdomineque cinereo-pubescentibus; alis fulvescentibus.

Staphyl. villosus Grav. Micropt. p. 160.

Pedes minus spinosi quam in praecedente.

Habitat in Amer. boreal.

3. *Cr. variegatus* Dej.

Fusco-piceus, nitidus, elytris castaneis cinereo-maculatis flavo-limbatis, abdomine nigro cinereoque fasciato, ventre et abdomine subtus albidis, pedibus rufo-ferrugineis.

Mannerheim l. cit. p. 20. 2.

Descr. Statura, magnitudo et dispositio colorum Cr. maxillosi. *Caput* magnum, transversum, latum, thorace plerumque paulo minus, nigro-piceum, nitidum, subtile punctulatum, pone oculos utrinque punctum majusculum et in medio frontis foveolae duae rotundatae plus minusve conspicuae; caput subtus inter oculos macula magna rufo-testacea; notatum anguli verticis cinereo-pubescentes.

Clypeus albidus.

Mandibulae et palpi piceo-ferruginei.

Antennae longitudine capitis, fusco-pubescentes, articulis mediis (4—7mo) sordide albidis, ultimo apice dilatiore et vix emarginato.

Thorax sub-semicircularis, antice sub-emarginatus, angulis deflexis, paulo compressis, fere rectis, lateribus postice sinuato-emarginatis, angulis obtusis, supra impressis; basi obtuse rotundatus; supra sub-convexus, postice tenue marginatus, niger vel piceus, nitidus, laevis, limbo laterali et postico punctulatis, in angulis anticis utrinque punctum majusculum et versus medium disci utrinque foveolis duabus plus minusve obsolete impressis.

Scutellum magnum, triangulare, nigrum, punctatum, versus apicem atro-holosericeum.

Elytra thorace paulo latiora et dimidio longiora, apice extrorsum sub-oblique truncata, lateribus inflexis, supra sub-depressa, nitida, punctulata, in medio disci punctis quinque majoribus longitudinaliter collocatis, rufo-castanea, in medio utrinque macula cruciformi e pube densa cinereo-albicante formata, sutura, margine postico et lateribus inflexis flavis, pilis longiusculis densis aureo-fulvis limbatis.

Abdomen elytris duplo longius, convexum, latum, nigrum, sub-nitidum, punctulatum, striis duabus et segmentis ultimis cinereo-albidis, pubescentibus.

Corpus subtus piceo-ferrugineum, cinereo-pubescens, sub-nitidum, punctulatum ventre et abdomine pube densa cinereo-albida vestitis.

Pedes elongati, validi, piceo-ferruginei vel rufo-ferruginei, femoribus forte punctatis, cinereo-pubescentibus, tarsis flavo-ciliatis, anticis in utroque sexu dilatatis.

Habitat in Brasilia. (Mus. Berol.).

4. *Cr. erythrocephalus* Fabr.

Niger, nitidus, capite rufo macula frontali nigra, elytris coeruleis.

Staphyl. erythrocephalus Fabr. Ent. system.

Olivier Ent. Staph. n. 9 t. 11 fig. 9.

Grav. Monogr. p. 127. var. Staphyl. oculati.

Descr. Long. 7 — 8‴. *Caput* magnum, thorace vix minus et plerumque paulo latius, rufo-testaceum, nitidissimum, laeve, angulis posticis fere rectis paulo rotundatis, in margine oculi utrinque punctum unum et in angulis verticis versus medium puncta duo etiam majuscula et sat profunde impressa. In medio capitis macula magna rotundata nigra. *Oculi* oblongi, in mortuis rufescentes.

Antennae longitudine capitis, articulis 6 primis nigro-piceis, segmentibus fusco-pubescentibus.

Mandibulae validae, arcuatae, nigrae. *Palpi* rufo-picei, apicibus, dilatioribus. *Maxillae* fulvo-aureo-ciliatae. *Thorax* semicircularis, antice sub-emarginatus, postice rotundatus, tenue marginatus; supra convexus, niger, nitidus, laevis, limbo antico punctis nonnullis minutis impressis. *Scutellum* nigrum, punctulatum, atro holosericeum.

Elytra thorace paulo latiora et dimidio longiora, apice oblique truncata, lateribus inflexis, angulis anticis glabris, nigricantibus; supra sub-quadrata, depressa, sub-nitida, obscure coerulea, crebre punctulata et praeterea in medio utrinque punctis nonnullis majoribus minus regulariter in serie longitudinali impressis. *Abdomen* elytris duplo longius, convexum, nigrum, nitidum, crebre punctatum, pubescens. *Corpus* subtus, capite rufo excepto, totum atrum, creberrime punctatum, pubescens. *Pedes* nigri, tibiis spinosis, tarsis anticis dilatatis. Mas segmento ultimo late emarginato.

Habitat in Nova Hollandia. (Mus. Berol.).

5. *Cr. oculatus* Fabr.

Niger, nitidus, capite subtus et angulis verticis rufis, elytris coriaceis piceis.

Fabr. Ent. system. Staph. n. 10.

Olivier Ent. s. n. 8 t. 11 fig. 19.

Grav. Monogr. p. 126 n. 151.

Descr. Long. $7\frac{1}{3}'''$. Statura lata et obtusa.

Caput magnum, transversum thorace fere latius, supra nigrum, nitidum, laeve, subtus et angulis basalibus rufis, pone oculos utrinque punctum majusculum cui versus collare plura puncta minuta et praeterea etiam in angulis verticis punctum majusculum associata sunt. *Oculi* mediocres, oblongi, depressi, glauci. *Clypeus* albido-flavescens. *Palpi* breviusculi, piceo-ferruginei, mandibulis validis nigris. *Antennae* longitudine capitis, extrorsum crassiores, nigro-fuscescentes. *Collum* angustum, nigrum, nitidum, lateribus et basin versus punctulatum. *Thorax* capite fere minor, semicircularis, antice truncatus, lateribus ad basin sub-emarginatis; postice exacte rotundatus, supra niger, nitidus, convexus, laevis et impunctatus, lateribus et postice tenue marginatus.

Scutellum magnum, depressum, nigrum, sub-opacum, coriaceum et crebre punctulatum.

Elytra thorace antico vix latiora sed dimidio eo longiora, apice sub-oblique truncata, supra quadrata, depressa, nigro-picea, coriacea, obsolete et subtile rugoso-punctata, in medio punctis nonnullis majoribus obsoletis seriatim impressis, sutura et margine apicali sub-ferrugineo-fuscescentibus, apice nigro-ciliata.

Abdomen cum corpore toto inferiore nigrum, sub-nitidum, creberrime et subtile punctulatum, pubescens.

Pedes validi, nigro-picei, tarsis anticis maris dilatatis. *Segmentum* abdominale ultimum apud marem profunde emarginatum.

Habitat in Nova Seelandia. (Mus. Berol.).

Nota. Hirsuties elytrorum apud individuum unicum, quod vidi forsan detrita est.

6. *Cr. badiipennis* Nordm.

Viridi-coeruleus, nitidissimus, antennarum basi, capite, thoraceque viridissimis, elytris avellaneis, antennis extrorsum tarsisque fuscis.

Descr. Insectum pulcherrimum, long. 7½.

Caput sub-rotundatum, thorace multo minus pulcherrime viride, nitidissimum, in antico frontis ad latera et circa oculos haud forte et parce punctatum. in medio brevissimum. *Clypeus* cum labro rufo-testaceus. *Palpi* rufescentes, labiales articulo ultimo reliquis paulo crassiore, sub-cylindraceo.

Mandibulae breviusculae, nigro-piceae.

Oculi sub-reniformes, haud convexi, brunnei.

Antennae capite vix longiores, articulo basali viridi nitido; reliquis fusco-pubescentibus.

Thorax capite multo longior, antice truncatus, angulis deflexis, lateribus parallelis, postice rotundatus, supra valde transversim fornicatus, nitidissimus, intra angulum anticum utrinque subtile punctulatus et in medio disci utrinque punctis 11 — 8 minutis in serie iregulari impressis.

Scutellum magnum, triangulare, valde depressum, coeruleum, sub-nitidum, punctatum.

Elytra thorace latiora et longiora, apice introrsum oblique truncata, supra sub-depressa, pallide avellanea, rufo et virescenti-micantia, sub-opaca, crebre et subtile punctata, pube brevissima, sed rigida flavescente vestita.

Alae infuscatae. *Abdomen* cum toto corpore inferiore viridi-coeruleum, nitidum, crebre et subtile punctatum.

Femora obscure coerulea, tibiis fusco-piceis, spinosis et ciliatis, tarsis fusco-rufescentibus.

Tarsi in utroque sexu dilatati.

Habitat in Brasilia D. ab Olfers. (Mus. Berol.).

7. *Cr. Erithacus* Nordm.

Coeruleus, capite et thorace viridi-chalybaeus, segmento ultimo anoque rufo-testaceis, elytris livido-coeruleis, antennis fuscis, pedibus piceo-violascentibus.

Descr. Magnitudo et statura praecedentis. *Caput* sub-rotundatum, thorace paulo angustius et multo brevius, viridi-cyaneum, nitidissimum, subtilissime, et vix conspicue parce punctulatum, circa oculos et in angulis verticis praeterea punctis haud numerosis majusculis impressis. *Clypeus* testaceus.

Labrum fusco-ferrugineum, fulvo-ciliatum et profunde emarginatum. *Palpi* rufescentes. *Oculi* oblongo-rotundati, brunnei.

Antennae capite paulo longiores, fusco-pubescentes.

Thorax capite vix latior, antice truncatus, angulis deflexis, compressis, lateribus fere rectis, postice rotundatus, supra transversim fornicatus, chalybaeo viridi-cyaneus, nitidissimis, laevissimus, in angulis anticis versus collum et in disco puncta perpauca minuta impressa, quasi series dorsales indicantia.

Scutellum depressum, coeruleo-sub-violascens, sub-nitidum, punctatum.

Elytra thorace latiora et longiora, apice introrsum oblique truncata, supra depressa, coriacea, violaceo-coerulea, opaca, obsolete et minus crebre punctata, vix pubescentia.

Abdomen pone elytra illis duplo longius, supra convexum, coeruleum, nitidum, subtile punctatum, segmento ultimo anoque rufo-ferrugineis. *Pectus* coeruleum, nitidum, punctatum.

Corpus reliquum subtus coeruleum, violaceo-micans, subtiliter punctulatum.

Processus anales fasciculis e pilis nigris instructi.

Femora piceo-violacea, tibiis nigro-piceis; tarsis fusco-ferrugineis.

Habitat in Brasilia. (Mus. Reg. Berol.).

8. *Cr. Chloris* Nordm.

Viridis, nitidissimis, elytris coeruleis, ano ferrugineo, antennarum articulo primo supra virescente.

Descr. Long. 6 $\frac{1}{3}$'''. Cr. Erithaco similis et affinis differt tamen capite thorace et toto corpore inferiore viridibus et non coeruleis, thorace minus elongato etc. *Caput* sub-quadratum, thorace angustius et multo brevius, supra convexum, viride nitidissimum, regione opthalmica, angulis verticis et in antico frontis versus basin clypei parce punctulatis. *Clypeus* et labrum ut in praecedente. *Palpi* mandibulis rufo-picei. *Oculi* sub-oblongo-rotundati, haud convexi, fusco-brunnei. *Antennae* capite paulo longiores, extrorsum minus incrassatae, fusco-ferrugineo-pubescentes, articulo basali supra virescente, nitido. *Collum* brevissimum, vix conspicuum.

Thorax latitudine paulo longior, antice truncatus, sat transversim fornicatus, viridis, nitidissimus, laevissimus, intra angulum anticum subtile et parce punctulatus et in disco dorsi utrinque punctis duobus seriatim impressis.

Scutellum depressum, coeruleo-virens, nitidum, tenue punctulatum.

Elytra thorace latiora, sed haud longiora, coeruleo-virescentia, sub-nitida, crebre et subtile punctulata.

Alae saturate infuscatae.

Corpus reliquum viridissimum, nitidum, subtilissime punctulatum, tenue pubescens, ano ferrugineo.

Pedes ut in praecedente.

Habitat in Brasilia? (Mus. Reg. Berol.).

12. STAPHYLINUS L.

SECTIO I. Corpore toto longitudine tecto.

Emus Leach.

Continet Staphylinos, quorum typus St. murinus est.

Murini.

A. Oculis valde prominentibus.

1. *Staph. versicolor* Grav.

Niger tomentosus, cinereo-fulvescenti-nebulosus, ano et segmentis abdominalibus ultimis sulphureo-sericeis, alis ochraceis.

Grav. Monogr. p. 119 n. 138.

Descr. Long. c. $8\frac{1}{2}'''$. *Caput* maximum, orbiculatum, transversum, deplanatum, cum oculis distantibus thorace multo majus et latius, basi versus medium colli emarginatum, supra nigrum, opacum, obsolete punctatum, pube brevissima nigro-cinereo-fulvescente obtectum.

Frons inter oculos lata, declivis, nigro-aenea, sub-nitida, obsolete punctata, in medio linea laevis, obsoleta, sub-elevata. *Clypeus* antice sinuato-emarginatus, fusco-ferrugineus. *Labrum* planum, nigro-fuscum, versus apicem foliaceum, testaceum, sub-pellucidum, fulvo-ciliatum, profunde incisum. Anguli verticis rotundati, tenue flavo-pubescentes. *Caput* subtus nigrum, nitidissimum, sparsim punctulatum.

Palpi tenues, filiformes, piceo-ferruginei, articulo ultimo ceteris tenuiore, subuliforme.

P. antici elongati, articulo secundo longiore, extus sub-elavato; *postici* breviores, articulo secundo intus piloso et ciliato.

Mandibulae capite fere duplo longiores, falcatae, versus apicem valde tenues, acutissimae, in medio mucronato-unidentatae, basi validae, superne carinatae, nigrae.

Antennae inter oculos sitae, capite longiores, basi et ultra medium filiformes, tenues, extrorsum crassiores sub-clavatae, colore rufo-testaceae, articulo primo extus obscuriore et cum secundo, tertio, quarto et quinto sub-glabris, sequentibus dilute testaceo-pubescentibus. Articulus primus elongatus tribus sequentibus longitudine aequalis, tenuis, extus paululum incrassatus; secundus, quartus et quintus brevissimi, lineares; sextus usque ad undecimum brevissimi, granulato-obconici, introrsum nonnihil producti; ultimus sub-ovatus, apice compresso-emarginato.

Oculi magni, convexi et valde prominuli, reniformes in exuviis albidi vel glauci.

Collum valde angustum et breve, nigrum, opacum, obsolete punctatum. *Thorax* parvus, sub-quadratus, antice truncatus et multo latior, angulis acutis, antrorsum nonnihil productis; versus basin angustatus, lateribus sub-obliquis, paulo emarginatis unde anguli valde obtusi formantur; postice rotundatus, supra pube brevissima nigro-olivacea et fulvescente-nebulosa adspersus, in medio linea sub-elevata obsolete indicata.

Scutellum triangulare, magnum, lateribus rotundatis, depressum, nigro-olivaceo-holosericeum.

Elytra thorace multo latiora et fere duplo longiora, sub-quadrata, apice rotundata, lateribus inflexis, supra depressa, opaca, olivaceo-holosericea, signaturis nigris tomentosis variegata, humeris detritis rufo-ferrugineis, apice coerulescente.

Alae elongatae abdomen superantes, saturate fulvo-ochraceae.

Abdomen pone elytra illis duplo longius, nigrum obsolete punctatum, sub-nitidum, maculis 2 fulvescentibus holosericeis, segmento penultimo et ano viridi-sulphureo-sericeis. *Corpus* subtus nigrum, sub-opacum creberrime et subtile punctatum, segmento elytris proximo et penultimo pilis brevissimis flavescentibus et cinereo-argenteis vestitis. Margines segmenti primi et secundi rufo-testacei. *Anus* sericeo-flavescens.

Pedes elongati, sub-tenues, rufo-testacei, femoribus obscurioribus argenteo-sericeis.

Tibiae sub-arcuatae, pilosellae, anello medio nigro, spinis duobus armatae.

Tarsi testacei, antici paulo dilatati.

Variat antennis pedibusque plus minusve obscurioribus.

Habitat in Brasilia (Para) in fructibus putrescentibus. P. Sieber. (Mus. Reg. Berol.).

2. *St. infuscatus* Klug.

Niger tomentosus, fusco-olivascenti-nebulosus, alis a basi ultra medium obscure infuscatis, ano stramineo.

Descr. Praecedenti valde similis et affinis; sed minor, angulis anticis thoracis minus acutis coloreque alarum diversus. Long. $6\frac{3}{4}'''$. *Caput* magnum dimidio fere minus quam in St. versicolore thorace attamen latius, nigrum, obsolete punctatum, ubique pube brevissima cinereo-virescente tectum. *Clypeus* albido-testaceus. *Labrum* fuscum margine testacea. *Palpi* fusco-picei vel ferrugineo-rufescentes. *Oculi* prominuli, reniformes, albidi. *Antennae* longitudine capitis, tenues, articulo primo extrorsum nonnihil fuscescente.

Thorax ut in praecedente, parvus, subquadratus, angulis anticis minus acutis et antrorsum productis, supra viridi-olivaceo-nebulosus in disco maculis duabus sub-arcuatis nigris holosericeis notatus.

Alae longae et amplae, apice rotundatae, a basi ultra medium et margine exteriore fuliginoso-infuscatae, apicem versus sensim hyalinae et diaphanae. *Elytra* sub-quadrata, opaca, viridi-violaceo-tomentosa, versus suturam et apicem praesertim nigro-holosericea. *Abdomen* pone elytra illis paulo longius, obtusum, nigrum, pubescens, virescens, sericeum, segmento penultimo lato et ano viride-stramineo-sericantibus. *Corpus* nigrum, sub-nitidum, subtile punctulatum, pilis brevissimis cinereo-argenteis adspersum. Segmentum elytrum proximum latere utrinque fasciculo parvo e pilis flavescentibus et brevibus ornatum. *Anus* sorflavescens.

Pedes testacei vel rufo-testacei, femoribus anterioribus fuscescentibus, mediis et posticis plerumque dilute testaceis, anulo nigro, tibiis et tarsis testaceis.

Variat etiam antennis pedibusque minus dilatioribus.

Habitat Xalappae in Mexico D. Deppe. (Mus. Reg. Berol.).

Nota. Staph. stenoides Grav. Monogr. 90. 86. forsan huc pertinet vel potius genus proprium constituere videtur, doleo eum non vidisse.

B. Oculis minus prominentibus.

3. *St. nebulosus* Fabr. Gyll. II. 282.

Habitat in Europa et Asia septentr.

4. *St. spinosus* Dej. Mannerh. l. cit. 21. 3.

Patria: America borealis.

5. *St. cingulatus* Grav. Micropt. 166. 14.

Habitat in Amer. septentr.

Nota. A specie praecedente vix differt.

6. *St. maculosus* Grav. Micr. 165. Monogr. 123.

Habitat in Carolina.

7. *St. chrysis* Grav. Monogr. 124. 147.

Patria: Brasilia.

8. *St. inauratus* Mannerh. l. cit. 21. 7.

Habitat in Dauria.

9. *St. pubescens* De Geer. Gyll. II. p. 284.

Habitat in Europa et Sibiria.

10. *St. murinus* L. Gyll. II. p. 283.

Patria: Europa et Asia borealis.

11. *St. femoratus* Grav. Monogr. 122. 143.

Habitat in Carolina.

12. *St. chrysocephalus* Fourer.

Pubescens, fusco-nebulosus; capite, antennarum basi, femorumque annulo ochraceis, abdomine subtus argenteo-sericante.

Grav. Monogr. 124. 146. Oliv. Ent. 15. II. f. 15.

Descr. Long. 5½‴. St pubescenti valde affinis, sed vere distinctus.

Caput sub-rotundatum, supra convexum, dilute ochraceum, sericeum, in medio frontis inter oculos punctis 2 nigris notatum et praeterea ad basin versus collum maculis 2 nigris majusculis signatum; subtus flavo-ochraceum, subnitidum, nudum, inpubescens in fundo baseos maculas 3 nigras ferens. *Clypeus* flavescens. *Labrum* ferrugineum, flavo-ciliatum. *Palpi* breviusculi, piceo-ferruginei, mandibulis nigris. *Oculi* rotundati, nigerrimi. *Antennae* capite fere dimidia parte longiores, extrorsum crassiores, articulis 5 primis dilute ochraceis, sequentibus fuscis. *Collum* colore et pubescentia capitis, lateribus nigris. *Thorax* capite vix latior et paulo longior, antice truncatus, nonnihil latior angulis sub-inflexis, rotundatis, lateribus versus basin sub-emarginatis; postice rotundatus; supra opacus, fusco-niger, nebulosus, pubescens, ad basin lateribus et in medio disci maculis nonnullis rufescentibus notatus, in medio linea angusta, abbreviata, sub-nitida, obsoleta. *Scutellum* obscurum, ad latera maculis 2 lunulàtis atro-holosericeis.

Elytra thorace multo latiora et paulo longiora, nigro-fusco-nebulosa et variegata ut in St. pubescente, obscuriora tamen, humeris inflexis rufescentibus. *Abdomen* pone elytra illis paulo longius, supra sub-depressum, obscurum, opacum, pubescens, segmentorum marginibus, ad latera argenteo-sericantibus, in medio fuscescentibus. *Corpus* subtus pube densa argenteo-sericea undique tectum, punctis nigris pubiferis, ceterum omnino ut in St. pubescente. *Femora* nigro-picea, margine et annulo ochraceis. *Tibiae* tarsique picea. *Tarsi* antici in utroque sexu dilatati.

Habitat in Gallia. (Mus. Reg. Berol.).

13. *St. scriptus* Klug.

Pubescens obscurus, fulvo-nigroque-nebulosus; antennis et tarsis ochraceis; femoribus nigris fulvo-limbatis; abdomine supra fulvo-nigroque lineato et maculato, subtus piceo, segmentis basi flavo-sericantibus. Long. $7\frac{1}{3}'''$.

Descr. Statura St. pubescentis, plerumque tamen paulo major. *Caput* magnum, transversum, aeneo-piceum, versus basin antennarum et labri rufescens, creberrime et subtiliter punctulatum, pube densa et villosa aureo-fulvescente tectum, angulis verticis nigro-aeneis, punctatis. *Clypeus* cum labro, flavescentes, hoc fulvo-ciliatum. *Palpi* breviusculi, pallide rufo-testacei. *Oculi* rotundati, depressi, glauci. *Antennae* capite paulo longiores, extrorsum vix crassiores, rufo-ochraceae.

Thorax capite $\frac{1}{4}$ longior, latitudine ei aequalis, oblongo-semicircularis, antice truncatus, angulis deflexis, obtusis, lateribus obliquis; postice rotundatus;

supra convexus, aeneo-piceus, locis detritis nitidus, tenue rufo-limbatus, crebre punctulatus, fulvo-pubescens et nebulosus; in medio linea sub-elevata laevis et nitida, non semper conspicua. *Scutellum* atro-holosericeum.

Elytra thorace latiora, sed vix longiora, apice minus oblique truncata, supra subvexa, pallide rufo-castanea, lateribus et apice ochraceo-flavescentibus, obsolete punctulata, signaturis nigris, flavo-cinctis, holosericeo-villosis variegata, apice pilis aureo-flavescentibus, ciliata.

Abdomen pone elytra longitudine reliqui corporis, piceum, holoseriaceo-pubescens, nigro-maculatum, et longitudinaliter flavo-lineatum, segmentorum marginibus rufo-ferrugineis. *Corpus* subtus nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum, pectore et coxis pilis brevissimis flavo-aureis vestitis, segmentis ad basin flavescenti-argentatis sericantibus. *Femora* nigra, subtus ochraceo-limbata, tibiis et tarsis ochraceis.

Tarsi antici in utroque sexu dilatati.

Habitat ad Promontorium bonae spei D. Lichtenstein. (Mus. Reg. Berol.).

14. *St. chloropterus* Creutzer.

Capite et thorace viridi-aurichalceis, punctulatis; elytris viridi-fuscescenti-nebulosis, abdomine fuscescente; antennarum basi, tibiis et tarsis rufo-testaceis. Long. 4½′′.

Grav. Col. Micropt. p. 166. n. 15. Creutzer Panzer Fauna Ins. Germ. H. 20. p. 36.

Descr. Minus pubescens quam reliqui hujus sectionis. *Caput* sub-quadratum, apice attenuatum, thorace paulo angustius, supra sub-convexum, viridi-aurichalceum, metallico-nitens, sub-pubescens, crebre et rude granulato-punctatum, subtus fusco-nigrum, nitidum, vage et forte punctatum.

Clypeus flavescens. *Labrum* picescens, margine anteriore pallidiore, fusco-ciliatum. *Palpi* breviusculi, dilute rufo-testacei. *Mandibulae* fusco-ferrugineae.

Maxillae testaceae, apice fuscescente. *Oculi* majusculi, rotundati, convexi, subprominuli, brunnei.

Antennae capite dimidio et ultra longiores, sub-filiformes, pallide rufescentes, extrorsum leviter fuscescentes.

Collum punctura, colore et pubescentia capitis.

Thorax capite major et paulo latior, antice truncatus, angulis deflexis, sub-compressis, lateribus obliquis, postice exacte rotundatus, supra minus convexus, viridi-aurichalceus cupreo-micans, sub-nitidus et pubescens, crebre et subtiliter punctulatus, in medio versus basin linea abbreviata laevis et nitida, marginem non attingens. *Scutellum* fusco-holosericeum.

Elytra thorace latiora, sed vix longiora, apice rotundata et introrsum oblique truncata, supra quadrata, sub-depressa, viridi-fulvescenti-fuscoque nebulosa, pubescentia, praesertim versus apicem dilute fulvescentia, ciliataque. *Abdomen* pone elytra illis dimidio longius, supra sub-depressum, segmentorum basi nigro-fuscescente, lateribus, marginibus et ano rufescentibus, opacis, pubescentibus. — *Pectus* subtus piceo-virescens, tenue pubescens, abdomine toto inferiore laete rufescente, subtile punctulato, segmentis elytris proximis basi fusco-nigris.

Pedes pallide rufo-testacei, flavescenti-sericantes, femoribus annulo nigro notatis. *Tarsi* antici dilatati.

Habitat in Europa meridionali, in Gallia, Austria et Italia (Mus. Berol.)

15. *St. cupreicollis* Nordmann.

Aeneo-piceus; capite et thorace cupreo-piceis, nitidis; elytris cupreo-olivascentibus, opacis; abdomine supra fusco griseo maculato; antennis pedibusque fusco-piceis.

Descr. Staphyl. antiquo proximus et similis, attamen sat diversus. Major, subtilior punctulatus, oculisque minoribus gaudet. Long. $7\frac{1}{2}'''$.

Caput sub-quadrangulum, apice paululum attenuatum, thorace nonnihil angustius et praesertim brevius, angulis posticis sub-rectis, supra modice convexum, piceo-aeneum, cupreo-micans, nitidum, crebre, sed minus profunde punctatum, fulvo-pubescens, in medio sincipite areola laevi et nitida; subtus nigro-piceum, nitidum, vage-punctatum. *Clypeus* flavescens, labro fusco-nigro. *Palpi* breviusculi et tenues, piceo-ferruginei. *Oculi* mediocres, rotundati, convexiusculi, in exuviis albicantes.

Antennae capite vix longiores, fusco-piceo-pubescentes.

Collum nigro-aeneum, confertissime et subtilissime punctulatum.

Thorax antice truncatus, latitudine vix longior, lateribus fere rectis et inter se parallelis, sub-quadrangulus, angulis posticis minus distinctis, postice obtuse rotundatus, supra modice transversim fornicatus, piceo-aeneus in cupreo micans, nitidus, postice tenuissime marginatus, crebre, sed haud profunde punctulatus, fulvo-pubescens, medio linea laevi et nitida.

Scutellum magnum, triangulare, nigro-piceum, opacum.

Elytra thorace latiora et longiora, postice minus oblique truncata, supra perparum convexa, fusco-olivacea, particulis aurichalcis adspersa, subtilissime et obsolete punctulata, fulvo-griseo-pubescentia.

Abdomen longitudine reliqui corporis, fuscum, opacum, pubescens in medio et utrinque in latere segmenti singuli, macula triangularis grisea, obsolete conspicua. — Segmentum penultimum et anus fuscescentia, immaculata.

Corpus subtus piceum, sub-nitidum, subtilissime punctulatum, griseo-sericans, segmentis abdominalibus viridi-aeneo et violaceo-micantibus.

Pedes nigro-picei, perparum aeneo-nitentes, tarsis anticis in mare dilatatis.

Habitat in Brasilia prope Minas-Geraes, Museo Reg. a D. Beske communicatus.

16. *St. antiquus* Hoffmgg.

Fusco-piceus; capite et thorace piceo-aeneis; elytris fusco-griseo-variegatis;

abdomine supra fusco-nigro-ochraceoque maculato; segmentorum marginibus et ano rufo-ferrugineis.

Descr. Long. $5\frac{1}{3}'''$ *Caput* sub-quadrangulum, thorace angustius et brevius, supra minus convexum, piceo-aeneum, metallice nitens, modice crebre, sed profunde punctatum, tenue fulvo-sericeo-pubescens, linea verticali, laevi, sub-elevata et nitida. *Clypeus* testaceus, labro fusco-ferrugineo, fulvo-ciliato. *Os* et palpi breviusculi, fusco-rufescentes. *Oculi* majusculi, rotundati, convexi, in mortuis albicantes. *Antennae* capite paulo longiores, sub-validae, extrorsum nonnihil crassiores, fusco-pubescentes, articulis basalibus extrorsum rufescentibus.

Thorax antice truncatus, paule angustior quam basi, angulis sub-deflexis, fere rectis, lateribus sub-parallelis, postice valde obtuse rotundatus, supra minus convexus, plane immarginatus, piceo-aeneus, cupreo-nitens, crebre et forte punctatus, pubescens, linea longitudinali abbreviata, sub-elevata, glabra.

Scutellum fusco-griseo-holosericeum.

Elytra thorace paulo latiora et longiora, supra fere plana, opaca, fusca, flavescenti-griseo-nigroque obsolete variegata et quasi granulis minutissimis aureochalceis adspersa, pubescentia, apice fusco-ferrugineo-ciliata, lateribus inflexis nigricantibus.

Abdomen elytris dimidio longius, apice obtuso, supra sub-nitidum, convexum, nigro-fuscum, pubescens et pilosum, segmentis singulis in medio macula flavescenti-grisea, nigro limitata notatis; ano et margine segmenti ultimi rufo-ferrugineis.

Pectus piceum, nonnihil rufescens, subtilissime punctulatum, flavescenti-sericans. *Abdomen* subtus piceo-ferrugineum, violaceo-micans, nitens, distincte, crebre et subtile punctulatum, pilis longioribus fulvescentibus dense obtectum, segmentorum marginibus anoque ferrugineis.

Pedes picei, tibiis anticis piceo-ferrugineis, tarsis anticis apud marem minus dilatatis.

Habitat in Para D. Sieber. (Mus. Reg. Berol.)

17. *St. hottentottus* Klug.

Niger, aenescens, sub-nitidus; elytris fusco-rufescentibus griseo-nebulosus; antennis, palpis et pedibus fusco-piceis, segmentis abdominalibus subtus nigro-aeneis violaceo-micantibus.

Desc. Medius statura et magnitudine St. murini, aut paulo major, sed distinctus, elytris conspicue longioribus etc. Long. $5\frac{3}{4}'''$.

Caput majusculum, orbiculatum, modice convexum, thorace fere latius, piceo-aeneum flavosericeo-pubescens, totum confertius et subtile punctatum, excepta linea verticali sub-elevata, glabra, nitida. *Oculi* mediocres, ovales, perparum convexi, nigricantes. *Clypeus* brevis, pallidus, antice rufescenti-marginatus. *Labrum* nigro-piceum, flavo-pilosum. *Mandibulae* nigrae. *Palpi* rufo-picei.

Antennae piceae, articulis tribus primis nitidis, apice rufo-marginatis, flavo-pubescentibus, reliquis opacis, pubescentibus.

Collum convexum, punctatum, flavo-sericeo-pubescens.

Thorax vix latitudine capitis sed paulo longior, antice truncatus, angulis rectis, sat acutis, lateribus parallelis, postice rotundatus, supra transversim fornicatus, aeneo-piceus, nitidus, creberrime punctatus, dense flavescenti-pubescens. medio laevis, nitidus.

Scutellum nigro-holosericeum.

Elytra thorace paulo latiora evidenter longiora, postice oblique truncata, supra plana, coriacea, subtile punctata, impressis punctisque majoribus quatuor obsoletis longitudinaliter positis setigeris notata, in fundo fusco-rufescentia griseo-variegata, piceo-flavescenti-pubescentia. *Alae* obscure fumosae.

Abdomen supra nigrum sub-coerulescens, subtiliter punctatum, nigro-pilosum, pilis depressis, segmentis singulis postice violaceo-cupreis, antice medio macula flavo-sericeo-pubescenti notatis, punctisque quatuor majoribus transversim positis; subtus abdomen nitidum, nigrum, violaceo-cupreo-micans, punctatum, pilosum, segmentis singulis itidem punctis quatuor aut sex transversim positis notatis.

Pectus nigrum, punctatum, nigro-pilosum.

Femora nigro-picea, tibiis tarsisque picescentibus, spinulis rufo-piceis instructis.

Habitat ad Promontorium bonae spei. D. Lichtenstein. (Mus. Reg. Berol.).

18. *St. hirtus* Linn. Gyll. 11. p. 280. (Emus hirtus Leach.
Patria: Europa.

SECTIO II. Corpore pubescente, thorace crebre punctato.

A. Antennis paulo crassioribus, articulisque earum minus elongatis.

a) Staphilini diverso modo colorati exceptis illis, qui cum St. castanoptero congruunt.

19. *St. atrox Nordm.*

Atro-violaceus, opacus, velutinus; abdomine cum toto corpore inferiore atro subtilissime punctulato, alis fuliginoso-ochraceis, coerulescenti-micantibus versus basin albo-hyalino-maculatis.

Descr. E. maximis, long. 2″ 2‴, et ultra. Statura lata et obtusa. *Caput* cum mandibulis fere 3‴ longum, transversum, sub-quadratum, thorace fere majus, supra convexum, atro-coeruleum, opacum, confertissime et subtile punctulatum, pubescentia brevissima nigra dense tectum. *Oculi* parvi, triangulares depressi, in mortuis albicantes.

Clypeus fusco-piceus, albido-marginatus.

Labrum fusco-ciliatum. *Mandibulae* breviusculae, validae, nigrae. *Palpi* nigro-picei maxillis fulvis. *Antennae* capite paulo longiores, articulis basalibus nigris, sequentibus fusco-pubescentibus.

Thorax fere semi-circularis, antice truncatus, angulis obtusis, lateribus fere rectis, postice rotundatus, supra convexus, atro-violaceus, coerulescens, opacus, velutinus, subtiliter et confertissime, sed obsolete punctulatus, in medio linea laevis, coerulea, vix indicata.

Scutellum depressum, atro-holosericeum.

Elytra thorace vix latiora, sed paulo longiora, apice introrsum oblique truncata, angulis anticis obtuse rotundatis, supra depressa, atro-violacea, certo situ rubro-fuscescenti-micantia, opaca, velutina.

Alae longae et amplae, fusco-ochraceae violaceo-resplendentes, nervis et macula marginali fusco-violascentibus, ad basin maculis et areolis albo-hyalinis, diaphanis, notatae.

Abdomen longitudine reliqui corporis, supra sub-convexum, latum et obtusum, atrum-sub-opacum, vix punctatum, pubescens.

Corpus subtus nigerrimum, nitidum, subtilissime punctulatum, lateribus et ano piliferis, segmento ultimo maris profunde emarginato.

Pedes validissimi, nigri, tibiis spinosis et valde hirsutis. *Tarsi* antici dilatati, subtus argenteo-sericeo-spinosi.

Habitat in Mexico. (Mus. Reg. Berol.)

20. *St. ferox* Nordm.

Niger, capite thorace elytrisque atro-coeruleis sub-violascentibus, velutinis; alis ochraceis.

Descr. Long. 1′′ 1′′′ et ultra. Praecedenti simillimus et valde affinis, differt praecipue alis paulo brevioribus, non ochraceo-fuscescentibus, sed pallide fulvo-ochraceis, macula marginali fusca. Color paulo dilutior atro-coerulescens. *Thorax* antice nonnihil latior, in medio linea obsoleta, sub-elevata et laevis.

Abdomen nigerrimum, nitidum, subtiliter punctulatum. Ceterum omnino ut in praecepente.

Habitat in Mexico D. Deppe. (Mus. Reg. Berol.)

21. *St. fulvomaculatus* Nordm.

Niger opacus, confertissime punctatus; capite et thorace coeruleis; elytris coeruleo-purpurascentibus macula laterali magna fulva.

Descr. Maximus, Long. 11 — 13‴. *Caput* magnum, transversum, subtriangulare, antice multo angustius, angulis posticis fere rectis, paulo rotundatis; supra minus convexum, coeruleum, opacum, creberrime punctulatum, pubescentia brevissima, nigra adspersum.

Oculi mediocres, sub-trianguliformes, depressi, in exuviis glauci vel albidi. *Clypeus* angustus, flavescens. *Palpi* nonnihil elongati, rufo-ferruginei, articulo ultimo longitudine secundi, sed paulo tenuiore. *Mandibulae* validae, nigro-piceae.

Antennae capite fere breviores, extrorsum tenuiores, a basi usque ad medium nigro-piceae, deinde testaceo-pubescentes; articulo primo majore, crassiore, obconico; sequentibus granulatis, sensim minoribus, ultimo reliquis minore, apice oblique emarginato.

Thorax capite vix major, fere semicircularis, sed paulo elongatus, antice truncatus, angulis nonnihil deflexis, lateribus sub-obliquis, postice rotundatus, supra convexus, coeruleus, opacus, creberrime et subtilissime punctulatus, linea longitudinali laevi versus basin vix indicata.

Scutellum magnum, nigrum, sub-nitidum, obsolete punctulatum.

Elytra thorace vix longiora et latiora, sub-quadrata, supra depressa, obscure coeruleo-purpurascentia, opaca, sub-velutina, valde obsolete punctulata, ad latus versus medium macula magna oblonga fulvo-ochracea notata.

Alae longae, amplae, abdomen superantes, saturate ochraceae, margine exteriore late dilute flavescente.

Abdomen elytris duplo longius, supra convexum, nigrum, sub-nitidum, pubescens, obsolete punctulatum, marginibus elevatis.

Corpus subtus nigrum, nitidum, creberrime punctulatum, pubescens, ad basin segmenti quarti et quinti ab ano macula parva flavo-sericea conspicua.

Pedes validissimi, nigri, femoribus et tibiis praesertim anticis incrassatis, spinosis, fusco-ciliatis. *Tarsi* antici valde dilatati, fusci. Femina segmento ultimo integro.

Habitat in Mexico(?) (Mus. Reg. Berol.)

22. *St. nobilis* Nordm.

Niger nitidus; capite thoraceque coeruleis, punctatis; elytris fulvo-aureo-sericeis, lateribus et scutello nigris; alis infuscatis. Long. 9‴.

Descr. Animal pulcherrimum. *Caput* magnum, sub-triangulare, apice attenuatum, supra convexum coeruleo-violascens, nitidum, creberrime et subtilite, punctulatum, nigro-pubescens. *Clypeus* flavescens. *Labrum* piceum, nigro-ciliatum. *Mandibulae* nigrae, palpis breviusculis, fusco-ferrugineis.

Oculi mediocres, depressi, rotundati, fusci.

Antennae capite vix longiores, basi nigrae, extrorsum fusco-pubescentes. *Collare* angustum nigro-coeruleum, subtile punctulatum.

Thorax capite major, antice truncatus, angustior quam basi, angulis deflexis, lateribus versus basin nonnihil dilatatis, unde anguli valde obtusi formantur, postice obtuse rotundatus; supra coeruleo-violascens, nitidissimus, confertim et subtiliter punctulatns, pube brevissima nigra obtectus, in medio linea longitudinali laevi.

Scutellum depressum, basi sub-coerulescens, holosericeum, opacum.

Elytra thorace postice paulo angustiora, sed iis longiora, apice oblique truncata, supra sub-convexa, pube bervissima incumbente laete aureo-sericea dense tecta, lateribus inflexis nigris, obsolete punctatis. *Alae* fuscae. *Abdomen* pone elytra illis duplo longius, nigrum, nitidum, punctulatum, pubescens.

Corpus subtus nigrum, nitidum, rude, sed subtile punctulatnm, segmentorum ventralium marginibus aeneo- et violaceo-micantibus, piliferis.

Pedes validissimi, nigri, hirsiti, tarsis anticis dilatatis.

Habitat in Brasilia meridionali D. Sello. (Mus. Reg. Berol.)

23. *St. chrysocomus* Mannerh.

Niger, pubescens, opacus; antennis, capite elytris pedibusque fulvo-aureis; thorace violaceo, punctatissimo. Long. 8‴.

Mannerheim Nouv. arang. d. Brachelyt. p. 21.

Magnitudo et statura St. erythroptere, vel paulo latior. *Caput* transversum, thorace latius, quadrangulum, antice haud attenuatum, angulis posticis rotundatis; supra modice convexum, totum fulvum, dense aureo-sericeum, creberrime et subtile punctulatum, infra nudum, punctis minus crebre impressum. *Clypeus* albido flavescens. — *Labrum* eodem colore, fusco-ciliatum. *Mandibulae* fulvo-rufescentes, apice nigricantes. *Palpi* fulvi. *Oculi* mediocres, sub-triangulares.

Antennae capite paulo longiores, extrorsum vix crassiores fulvo-pubescentes, articulis 3 basalibus nitidis.

Collum colore et punctura omnino capitis.

Thorax latitudine paululum longior, antice truncatus, angulis deflexis, rectis, lateribus obliquis et inter se fere parallelis; postice valde obtuse rotundatus, supra transversim fornicatus, niger, violaceo-micans, sub-nitidus, angulis anticis paulo aenescentibus, ubique crebre et subtile punctatus, nigro-pubescens.

Scutellum nigro-holosericeum.

Elytra thorace multo latiora et nonnihil longiora, apice oblique truncata, fulva, pulcherrime dense aureo-sericea, subtilissime punctulata.

Abdomen elytris duplo longius et haud angustius, totum nigrum, supra sub-opacum, obsolete punctulatum, segmento antepenultimo apice fulvo-sericeo ciliato, infra eodem colore, subnitidum, subtilissime vix conspicue punctulatum, marginibus segmentorum omnium fulvo-sericantibus.

Pectus nigro-piceum, tenue pubescens, subtilissime punctulatum.

Pedes validi, fulvis, coxis paulo obscurioribus, tarsis anticis in utroque sexu dilatatis.

Habitat in Dauria D. Wladsiminski.

Individuum unum in Collatione Com. Mannerheimii Petropoli asservatur.

24. *St. erythrocnemus* Nordm.

Niger, obscurus; capite, thorace et elytris, fusco-aeneis, rufescenti-pubescentibus; tibiis, tarsis elytrorumque marginibus lateralibus rufis; antennis, abdomine femoribusque nigris. Long. circa 8½‴.

Individua duo, quae in Museo Berolinensi extant, partim detrita sunt, unde descriptio mea forsan minus accuratae.

Descr. Statura magna, obtusa, lata, color sardidus et minus distinctus. *Caput* magnum, subtriangulare, angulis posticis fere rectis, sub-rotundatis, supra convexum, piceo-aenescens, obscurum, sub-nitidum, undique creberrime et subtile punctulatum, sordide viridi- vel olivaceo-rufescenti-pubescens; subtus nigrum, nitidum, nudum, vage-punctatum. *Clypeus* fusco-flavescens. *Labrum* ferrugineum. *Palpi* breviusculi, piceo-ferruginei. *Oculi* rotundati, depressi, in mortuis griseo-murini. *Antennae* capite vix vel paulo longiores, fuso-piceae, pubescentes.

Collum obscurum, creberrime et subtilissime punctulatum.

Thorax fere semi-circularis, capite non latior, sed paulo longior, antice truncatus, angulis deflexis, sub-compressis, fere rectis, sub-rotundatis, lateribus sub-obliquis, postice rotundatus; supra minus convexus, piceo-aenescens, creberrime et subtile punctulatus, obscure olivaceo-rufescenti-pubescens, linea media longitudinali picea, laevi et nitida. *Scutellum* nigro-holosericeum.

Elytra apice rotundata et vix introrsum oblique truncata, supra quadrata, thorace paulo latiora et longiora, sub-depressa, obscura, obsolete punctulata, pube brevissima fusco-olivacea, certo situ a rufescenti-micanti obtecta, apice tenue fusco rufo-ciliata, margine laterali sordide ferrugineo-rufescentia. *Alae* longae, amplae, fuliginoso-ochraceae.

Abdomen latum, obtusum, elytris dimidio longius, nigrum, fere absque nitore, obsolete punctulatum, pubescens, a latere visus paululum rufescenti-micans, in medio maculis atro-holosericeis obsoletis notatum.

Corpus subtus nigrum, aenescens, nitidum, punctulatum, pubescens, segmentis basi albido-sericeis.

Femora nigro-picea, fulvo-ciliata, tibiis et tarsis rufo-ferrugineis.

Segmentum ultimum maris profunde emarginatum et incisum. *Tarsi* antici valde dilatati.

Habitat ad Promontorium bonae spei et in Terra Caffrorum. D. Krebs. (Mus. Reg. Berol.)

25. *St. velutinus* Klug.

Niger, opacus; capite thoraceque aeneis rubro-pubescentibus; elytris atris velutinis; antennis, tibiis tarsisque rufo-testaceis. Long. c. $7\frac{1}{2}'''$.

Descr. Caput magnum, thorace paulo minus, praesertim brevius, vix angustius, supra convexum, aeneum, sub-nitidum undique confertissime et subtile punctatum, rubro-pubescens. *Clypeus* flavescens. *Palpi* rufo-testacei. *Mandibulae* nigro-piceae.

Oculi oblongo-rotundati, depressi, glauci.

Antennae capite longiores, filiformes, rufo-testaceae, extrorsum pubescentes. *Collum* aeneum, punctatum et pubescens ut caput et thorax.

Thorax antice truncatus, paulo latior quam basi, lateribus obliquis, postice exacte rotundatus; supra convexus, aeneus, fere absque nitore, creberrime et subtile punctulatus, pube dense rufo-castanea obtusus; in medio linea sub-elevata, aenea, laevis et nitida. *Scutellum* nigrum, opacum, velutinum, punctulatum.

Elytra thorace vix latiora et longiora, apice oblique truncata, lateribus inflexis, supra fere quadrata, sub-depressa, atra, opaca, velutina, creberrime et subtile, sed obsolete punctulata, margine extima suturae ferruginea.

Abdomen elytris dimidio longius, nigrum, opacum, velutinum, valde obsolete punctulatum, tenue pubescens. *Corpus* subtus nigrum, sub-nitidum, crebre et subtile punctulatum, pubescens. Coxae femoribus nigerrimae, rubro-pubescentes, tibiis et tarsis rufo-testaceis.

Tarsi in utroque sexu valde dilatati, coarctati.

Habitat ad Promontorium bonae spei, unde D. Krebs individua nonnulla ad Mus. Reg. Berol. misit.

26. *St. chrysopygus* Klug.

Niger nitidus; palpis et antennis rufo-testaceis; elytris laete coeruleis; ano, segmentis abdominalibusque ultimis flavo-stramineis. Long. 6‴.

Descr. Caput latitudine thoracis, transversum, magnum, supra convexum, nigrum, nitidum, vix pubescens, haud crebre, sed sat profunde punctatum, in medio frontis laeve, impunctatum; subtus nigrum, nitidissimum, hinc illinc puncto majusculo impressum. — *Oculi* ovati, convexiusculi, in mortuis glauci.

Clypeus flavo-testaceus. *Palpi* rufescentes. *Antennae* sub-tenues, filiformes, capite longiores, dilute rufo-testaceae.

Collum angustum, nigrum, nitidum, laeve, impunctatum.

Thorax antice truncatus, parum latior quam basi, angulis paulo deflexis, sub-compressis, fere rectis, lateribus, sub-obliquis, postice rotundatus; supra convexus, niger, nitidus, sparsim et non crebre punctatus, sub-pubescens, in medio linea laevi et nitida.

Scutellum thorace paulo longiora et latiora, apice oblique truncata, supra modice convexa, pulcherrime coerulea, nitida, crebre et profunde punctata, margine apicali nigro-ciliata.

Alae elongatae, amplae, obscure-infuscatae.

Abdomen reliquo corpore paulo brevius, convexum, nigrum, aeneo-micans, nitidum, punctatum, pubescens, ano, segmento ultimo toto, penultimo usque ad medium laete flavo-stramineis. *Anus* spinis duabus piliferis, concoloribus armatus. *Corpus* reliquum subtus, ano et segmentis ultimis exceptis, nigro-aeneum, nitidum, crebre punctatum, pubescens.

Pedes nigri, tarsis anticis dilatatis ferrugineis.

Habitat in Brasilia D. v. Olfers. (Mus. Reg. Berol.)

27. *St. xanthopygus* Nordm.

Niger nitidus; elytris nigro-coeruleis, thoracis lateribus et in disco utrinque seriatim profunde punctatis; antennis fuscis; segmento ultimo anoque flavo-stramineis.

Magnitudo St. chrysopygi. Long. 6‴.

Descr. Caput latitudine fere thoracis et paulo brevius, convexum, nigrum, nitidum, laeve, angulis verticis et pone oculos vage et profunde punctatum.

Clypeus fusco-flavescens, labro et palpis obscure fusco-sub-ferrugineis. *Mandibulae* nigrae. *Oculi* rotundati convexiusculi, nigri.

Antennae capite dimiduo longiores, extrorsum sub-crassiores, articulis 3 primis nigro-piceis glabris, sequentibus fuscescentibus, pubescentibus.

Thorax capite paulo latior, antice truncatus et latitudinem ad basin paululum superans, angulis deflexis sub-compressis, lateribus subobliquis; postice valde obtuse rotundatus; supra modice convexus, unicolor, niger, nitidus, lateribus et postice tenue marginatus, in limbo antico utrinque punctis minoribus, lateribus punctis majoribus haud numerosis, sed profundis, versus discum in series irregulares digestis et impressis. Series haec invicem remotae sunt, unde in medio thoracis area longitudinalis lata, laevis et nitida formatur.

Scutellum nigrum, sub-coerulescens, crebre et subtiliter punctulatum.

Elytra thorace latiora et paulo longiora, apice minus oblique truncata, nigro-ciliata, supra sub-depressa, nigro coerulescentia in violaceo paululum micantia, sub-nitida, crebre et subtile punctulata, tenue nigro-pubescentia. — *Alae* longae, amplae, saturate fuliginoso-fuscescentes.

Abdomen et corpus totum reliquum, nigrum, nitidum, distincte punctulatum, pubescens, segmento ultimo et ano supra et subtus laete flavo-stramineis, nitidis; segmentis ceteris abdominalibus subtus paulo violaceo-micantibus.

Pedes nigro-picei, tarsis anticis apud feminam minus dilatatis.

Habitat in Oaxaca in reg. Mexico. E. Deppe. (Mus. Reg. Berol.)

28. *St. ochropygus* Klug.

Niger, capite et thorace coeruleis; elytris coeruleo-griseoque undulatis; abdomine supra fusco ochraceoque vario; segmentis ultimis anoque ochraceis. Long. 7″.

Descr. *Caput* subquadrangulum, apice paulo attenuatum, thorace postico multo angustius, angulis verticis rectis, paulo rotundatis; supra modice convexum, obscure coeruleum, certo situ virescens, nitidum, undique forte punctatum, tenue, atro-purpureo-pubescens; subtus nigro-piceum, nudum, nitidissimum, vage punctatum.

Clypeus obscure testaceus. *Palpi* piceo-ferruginei, articulis ultimis subelongatulis.

Oculi sub-rotundati, majusculi et convexi, in mortuis glauci.

Antennae breves, capitis vix longitudine, extrorsum crassiores, fusco-pubescentes, basi obscure rufo-piceae, articulo ultimo pallide rufescente. *Collum* angustum, nigro-coeruleum, subtilissime punctulatum. *Thorax* magnus, antice truncatus et latior quam ad basin, angulis paulo inflexis et compressis, lateribus subrotundatis; supra minus convexus, immarginatus, obscure coeruleus, subnitidus, crebre punctatus, ad basin lineola abbreviata laevi, nitida. *Scutellum* depressum, nigro-holosericeum. *Elytra* thorace haud longiora et vix latiora, supra modice convexa, obscure coerulea, opaca, vix conspicue punctulata, pilis breviusculis et rigidis obtecta, in medio plaga continua flexuosa et versus humerum utrinque macula sub-trianguliforme griseo-albicante notata, apice nigro-ciliata. *Abdomen* elytris dimidio longius, nitidum, fusco-virescens, nigro ochraceoque maculatum, pubescens et pilosum, segmento ultimo ceteris paulo longiore totoque ano ochraceis, nitidis. *Pectus* nigrum vel fusco-piceum, subsilissime punctulatum, flavescente-sericeum. *Abdomen* subtus piceo-violascens, aeneo- et purpureo paulo micans, nitidum, sat dense pubescens et rufescente-pilosum, punctulatum, segmento ultimo ad basin rufo-piceo tunc rufescente et deinde ultra medium anoque ochraceis.

Pedes nigro-picei, tibiis valde spinosis, tarsis in mare sat dilatatis.

Habitat in America? (Mus. Reg. Berol.)

29. *St. purpurascens* Nordm.

N. Niger; capite thoraceque cupreo-purpurascentibus; elytris sub-rugolosis, lividis, opacis, punctulatis; scutello nigro, opaco, alis ochrascentibus. Long. $7\frac{1}{2}'''$.

Descr. *Caput* thorace paulo angustius et multo brevius, sub-quadratum, supra convexum, cupreo-purpurascens, nitidum, laeve, in antico frontis utrinque puncta 3 arcuatim disposita, ad singulum oculum series longitudinalis e punctis 7-8 formata, versus occiput et in angulis verticis punctis haud numerosis, inaequalibus impressis; — subtus caput nudum, nigrum, vage-punctatum. *Clypeus* cum labro ferrugineus. *Mandibulae* nigrae, palpis piceo-ferrugineis. *Oculi* majusculi, sub-depressi brunnei. *Antennae* capite longiores, extrorsum paulo crassiores, articulis basalibus nigris, sequentibus fusco-pubescentibus. — *Collum* angustum, laevissimum, cupreo-purpurascens, nitidum.

Thorax capite fere dimidio longior, antice truncatus, latior quam basi, angulis deflexis, sub-compressis, fere rectis, lateribus sub-obliquis; postice obtuse rotundatus, supra convexus, tenue marginatus, cupreo-purpurascens, nitidissimus laevis, in limbo antico, versus marginem punctis nonnullis impressis et praeterea in medio disci utrinque punctis 2, quorum anticum minutissimum in margine fere situm.

Scutellum depressum, nigrum, opacum, apice punctato.

Elytra thorace paulo latiora et longiora, apice vix oblique truncata, supra quadrata, sub-convexa, livido-coerulea, superficie sub-rugolosa, crebre punctata, lateribus inflexis violascentibus. *Alae* longae, ochraceo-fuscescentes. *Abdomen* pone elytra illis dimidio longius, convexum, nigrum, subnitidum, forte punctatum, pubescens.

Pectus nigrum, subtiliter punctulatum.

Pedes validi, nigri, tarsis nigro-piceis.

Habitat in Brasilia D. Langsdorff. (Mus. Reg. Berol.)

30. *St. violaceus* Grav.

Niger, capite et thorace nigro-violascentibus nitidis, elytris obscure violaceis apacis; scutello fusco-holoseriaceo, segmentis basi ad latera argenteo-sericeis.

Grav. Micr. 162. 6.

Descr. Long. $6\frac{1}{4}'''$. *Caput* sub-quadrangulum, antice haud attenuatum, thorace vix angustius et paulo brevius, supra modice convexum, nigro-violascens, nitidum, forte punctatum, vix pubescens, in medio areola laevi et nitida.

Clypeus flavescens, labro nigro-piceo fusco-ciliato. *Palpi* breviusculi, tenues, piceo-ferruginei, maxillorum articulo ultimo paulo dilutiore.

Antennae capite longiores, validae, articulis 3 basalibus nigro-piceis, glabris, apice obscure rufescentibus, reliquis fusco-pubescentibus.

Collum crebre et subtiliter punctulatum.

Thorax capite paulo longior, supra sat transversim fornicatus, nitidus, angulis anticis purpurascentibus, ceterum punctura et colore capitis.

Scutellum depressum, basi flavescenti-sericans, apice fusco-holosericeum. *Elytra* thorace paulo latiora sed vix longiora, supra modice depressa, obscure violacea paulo purpurascentia, opaca, coriacea, sub-velutina, obsolete punctata, tenue flavescenti-pubescentia.

Alae fuliginoso-fuscescentes.

Abdomen pone elytra illis duplo longius, supra nigrum, sub-nitidum, distincte punctatum, pubescens et pilosum, segmentis 3 primis dense flavescenti-sericantibus; subtus nigro-aenescens, violaceo-micans; rude punctatum, pilosum, segmentis singulis ad marginem fulvo-ciliatis, basi flavescenti-sericantibus.

Pectus nigro-piceum, crebre punctatum, pubescentia brevissima flavo-sericea adspersum. *Pedes* nigro-picei, tibiis valde spinosis et hirsutis, tarsis, praecipue anticis dilatatis, obscure piceo-ferrugineis.

Segmentum ultimum maris profunde impresso-emarginatum.

Habitat in Amer. septentr. (Mus. Reg. Berol.).

31. *St. lugubris* Nordm.

Ater supra opacus, subtilissime punctulatus; antennis et palpis fusco-ferrugineis; ano piceo-ferrugineo; alis fuliginosis.

Descr. Magnitudine St. sub-punctati vel adhuc paulo minor, colore valde obscuro.

Long. 6‴. *Caput* sub-triangulare, apice attenuatum, basi truncatum, thorace vix angustius, sed brevius, supra totum atrum, opacum, creberrime et subtiliter punctulatum, nigro-fuliginoso-pubescens. *Clypeus* flavescens, labro nigro-ferrugineo. *Palpi* breviusculi rufo-ferruginei. *Oculi* rotundati, mediocres, in mortuis albicantes. *Antennae* capite longiores, tenues, filiformes, articulis basalibus fusco-rufescentibus, sequentibus fusco-testaceis pubescentibus. *Collum* pubescentia et colore capitis, subtilius tamen punctulatum.

Thorax elytris vix latior et longior, antice truncatus, lateribus parallelis, postice rotundatus, supra convexus, immarginatus, ater, opacus, punctulatus et pubescens, in medio baseos versus scutellum lineola abbreviata et nitida. *Scutellum* atro-fuliginosum, pubescens, valde obsolete punctulatum.

Elytra apice oblique truncata, supra quadrata, opaca, colore punctura et pubescentia omnino thoracis. *Alae* saturate fuscescentes.

Abdomen longitudine reliqui corporis, supra convexum, sub-opacum, atro-fuliginosum, subtilissime et vix conspicue punctulatum, obscure pubescens, ano nigro-ferrugineo.

Corpus subtus excepto ano nigrum, evidenter punctulatum, fere nitidum, segmentis abdominalibus nonnihil in violaceum et aeneum micantibus.

Pedes toti nigerrimi vel obscure nigro-fuliginosi, tarsis vix dilutioribus.

Variat margine segmenti ultimi nigro-ferrugineo, segmentis abdominalibus non semper violaceo-micantibus.

Habitat in Montevideo et ceteris regionibus Brasiliae. D. Sello. (Mus. Reg. Berol.).

32. *St. tomentosus* Grav.

Niger, unicolor, opacus, fusco-pubescens; antennis et palpis nigerrimis; alis basi albo-hyalinis margine exteriore fuscescentibus.

Grav. Micr. 161. 4.

Descr. Long. 6‴. St. lugubri valde affinis et similis, sed diversus. *Caput* sub-ovatum, antice paulo attenuatum, angulis posticis sub-rotundatis, thorace paulo angustius et multo brevius; supra nigerrimum, opacum, subtile punctulatum, tenue fusco-pubescens.

Clypeus piceo-testaceus, labro nigro-piceo, fusco-ciliato. *Oculi* majusculi, convexi, ovati in exuviis nigerrimi. *Palpi* tenues, nigro-picei, maxillis fulvis. *Mandibulae* nigrae. *Antennae* capite paulo longiores, sub-tenues, extrorsum nonnihil incrassatae, articulis 3 basalibus nigerrimis, sequentibus nigro-fuscis, pubescentibus.

Thorax sub-elongatus, antice truncatus, postice sat obtuse rotundatus, supra modice transversim fornicatus, niger, opacus, confertim et subtiliter punctulatus, dense fusco-pubescens. *Scutellum* depressum, nigro-fuscum, opacum. subtilissime et obsolete punctulatum.

Elytra thorace non latiora et vix longiora, apice oblique truncata, nigro-ciliata, supra haud convexa, nigra, opaca, fusco-pubescentia. *Alae* elongatae, versus basin et marginem interiorem albo-hyalinae, macula marginali et extrorsum infuscatae.

Abdomen elytris fere triplo longius, supra nigrum, opacum, vix conspicue punctulatum, pubescens, subtus cum corpore toto reliquo nigro-piceum, sub-nitidum, confertissime et subtilissime punctulatum, pube brevissima et densa nigro-fusca vestitum.

Pedes nigro-picei, tarsis anticis dilatatis piceo-ferrugineis.

Habitat in America septentrionali.

Nota. Individuum e Museo Knochiano, idem quod Cl. Gravenhorst olim descripsit.

(Mos. Reg. Borol.).

33. *St. Fossator* Knoch.

Fuscus, capite et thorace nigris; elytris macula apicali ochraceo-sericea, segmentis abdominalibus subtus fuscis violaceo-micantibus.

Grav. Col. Micr. 164. 12.

Descr. Long. $6\frac{3}{4}'''$. *Caput* sub-quadratum, apice paululum attenuatum, postice versus collum nonnihil emarginatum, thorace nonnihil angustius, sed multo brevius, supra nigrum, crebre et forte punctatum, opacum, fusco-pubescens, locis detritis nitidum, in medio verticis linea obsoleta laevi. *Clypeus* flavescens, labro nigro-piceo, fusco-ciliato. *Palpi* breviusculi sub-tenues, picei. *Antenuarum* articuli 4 basales glabri, nigro-picei. (Reliqua desunt). *Oculi* majusculi, oblongi, nigro-fusci. *Collum* nigrum, subtiliter punctulatum, fusco-pubescens. *Thorax* antice truncatus, lateribus parallelis, postice rotundatus, supra modice transversim fornicatus, lateribus versus basin tenuissime marginatus, niger, sub-opacus, creberrime punctatus, linea abbreviata laevi et nitida versus scutellum conspicua.

Scutellum nigro-piceum, opacum, vix punctulatum.

Elytra thorace paulo latiora, longitudine ei aequalia, quadrata, opaca, fusco-brunnea, dense pubescentia, sub-velutina, in apice utrinque macula magna sub-quadrata ochraceo-sericea notata.

Abdomen pone elytra iis fere triplo longius, latum, nigro-castaneum, sub-opacum, vix conspicue punctatum, dense pubescens, segmento penultimo basi obsolete flavo-sericante. *Corpus* reliquum subtus obscure fuscum, creberrime et subtilissime, sed distincte punctulatum, pubescens, nitidum, segmentis abdominalibus paulo cupreo-purpurascentibus.

Pedes fusci vel nigro-castanei, tibiis spinulosis, tarsis anticis dilatatis, subtus fulvo-ciliatis. *Segmentum* ultimum in mare apice impresso-emarginatum.

Habitat in Amer. septentrionali. (Olim in Mus. Knochiano, nunc in Mus. Reg. Berol.).

b. Castanopteri.

34. *St. vulpinus* Klug.

Nigro-fuscus, pubescens; abdomine utrinque supra flavo-sericeo, segmentorum marginibus ferrugineo-ciliatis, capite et thorace fusco-ferrugineis; elytris, antennis, palpis pedibus anoque rufo-ferrugineis.

Descr. Ad majores numerandus, longit. c. 10‴ latit. 2‴. *Caput* postice thoracis latitudine, anterius paulo angustatum, supra modice convexum, confertim punctatum, ferrugineum, sericeo-pubescens. *Clypeus* laevis, rufo-flavescens. *Labrum* pilosum, farrugineum.

Antennarum articuli basales rufo-ferruginei, exteriores paulo infuscati. *Mandibulae* nigrae. *Os* cum palpis ferrugineum. *Oculi* ovales, parvuli, perparum convexi, nigri. *Collum* cum capite concolor. *Caput* subtus fere planum, nigrum, glabrum, vage punctatum.

Thorax capitis longitudine, elytris paulo angustior, antice truncatus, lateribus parallelis, postice rotundatus, angulis anticis distinctis rectis; supra transversim fornicatus, confertim punctatus, fusco-ferrugineus, sericeo-pubescens: pubescentia ipsa ad medium versus committitur, ut jam in capite et collo, unde carinula angusta posterius paulo latior magis etiam cerni potest.

Scutellum nigro-holosericeum.

Elytra thoracis longitudine, paulo latiora, praesertim posterius, apice oblique truncata, angulis posticis rotundatis, supra sitis plana, creberrime et subtilissime punctata, laete rufo-ferruginea, dense pubescentia, sutura sola glabra, nitida.

Pectus nigrum, dense flavo-aureo-sericeum. *Abdomen* longitudine fere corporis anterioris, totum nigrum, excepto ano: segmenta superiora antice utrinque flavo-aureo-tomentosa, postice ferrugineo-ciliata, inferiora anteriora tria itidem tota fere flavo-aureo-pubescentia, marginibus rufescentibus; posteriora duo minus pilosa, magis nitida, distinctius punctata; tria posteriora punctis majoribus transversim positis sex notata, setas gerentia; anus cum appendicibus rufo-ferrugineis.

Pedes toti rufo-ferruginei.

Habitat prope Philadelphiam in Amer. bor. D. Kin. (Mus. Reg. Berol.).

35. *St. castaneus* Nordm.

Fusco-brunneus, opacus; capite thoraceque obscuro-castaneis, elytris, segmentorum ventralium marginibus, palpis, antennarum basi, pedibus anoque rufo-castaneis, abdomine supra nigro-griseo sub-lineato. Long. 8‴.

Descr. Statura et magnitudo St. castanopteri. *Caput* sub-quadratum, thorace paulo minus, versus apicem attenuatum, supra convexum, obscure castaneum, creberrime et subtile punctulatum, opacum, pubescens; subtus nudum, nigrum, vage sed forte punctatum.

Clypeus rufo-ferrugineus. *Oculi* majusculi, rotundati, sub-depressi, fusco-brunnei.

Palpi rufo-ferruginei, mandibulis nigris.

Antennae capite paulo longiores, basi rufo-ferrugineae, extrorsum fusco-testaceo-pubescentes.

Thorax capite vix latior et paulo longior, antice truncatus, angulis deflexis, compressis, sub-rotundatis, lateribus fere rectis, postice obtuse rotundatus; supra convexus, vix marginatus, colore, punctura et pubescentia ut in capite, in medio linea laevis obsoleta, si pubescentia non detrita est haud conspicua.

Scutellum atro-holoseriaceum.

Elytra thorace paulo latiora et longiora, apice introrsum oblique truncata, supra sub-depressa, rufo-castanea, opaca, confertissime punctulata, pubescentia.

Alae longae, fusco-fumigatae.

Abdomen longitudine reliqui corporis, supra convexum, fusco-nigrum, sub-opacum, subtilissime sed obsolete punctulatum, pubescens in medio linea longitudinalis nigra obsoleta, in certo situ modo evidens, margine segmenti ultimi et ano obscure rufo-castaneis. Subtus segmenta ventralia piceo-ferruginea, nitida, subtiliter punctulata, et apice rufo-castanea, ad latera versus basin singulum segmentum utrinque puncto magno et profundo impresso.

Pectus subtilissime punctulatum, pube brevissima flavo-sericea tectum.

Pedes validi, toti rufo-castanei, coxis paulo obscurioribus, tarsis anticis in utroque sexu valde dilatatis.

Habitat in Mexico, ubi D. Deppe hanc speciem invenit (Mus. Reg. Berol.

36. *St. castanopterus* Grav.

Antennarum basi apiceque elytris pedibusque rufo-testaceis, thorace immaculato, scutello flavo-aureo.

Grav. Micr. 10. 10. Monogr. 116. 132.
Gyllenh. 11. p. 295. 14.
Habitat in Europa.

37. *St. erythropterus* L.

Antennarum basi elytris pedibusque rufis, thoracis limbo flavo-aureo, scutello atro-holoseriaceo.

Linn. system. 2. 683. 4.
Grav. Micr. 10. 11.
Gyllenh. 11. p. 293. 13.
Var. *b.* Elytris fusco-ferrugineis.
Var. *c.* Antennis totis rufo-testaceis.
Habitat per totam Europam.

38. *St. stercorarius* Olivier.

Antennis brevioribus, capite et thorace nigris, antennarum basi elytris pedibusque testaceo-rufis, abdomine fusco-nigro utrinque ochraceo-sericeo-maculato.

Olivier Ent. St. 3. n. 18. pl. 111. fig. 23.
Grav. Micr. 11. 12. Monogr. 115. 130.
Gyll. 11. p. 296.

Magnitudo St. latericolae et paulo major. Long. $5\frac{1}{2}'''$. Statura latiore, capite majore, antennis brevioribus, longitudine capitis. *Pedes* toti rufo.

Var. *b*. Antennis totis rufis.

Habitat in Germania, Suecia etc.

39. *St. latebricola* Grav.

Niger; capite et thorace virescenti-aeneis; elytris et pedibus rufo-testaceis; antennis fusco-rufescentibus; abdomine flavo-sericeo-maculato.

Grav. Monogr. 113. 129.

Descr. Ceteris hujus divisionis minor. Long. c. $5'''$.

Caput thorace paulo angustius et brevius, supra modice convexum, obscure virescenti-aeneum, nitidum, crebre distincte et profundius quam in St. stercorario punctatum, dense flavescente-sericans, linea media obsoleta, laevi et nitida. *Palpi* breviusculi, tenues, piceo-rufescentes. *Clypeus* testaceo-fuscescens.

Labrum fusco-ferrugineum, fulvo-ciliatum.

Oculi in mortuis nigricantes.

Thorax antice truncatus, angulis modice deflexis, sub-rectis, lateribus paululum rotundatis, postice obtuse rotundatus, supra convexus, nitidus, confertim punctatus, fulvo-sericeo-pubescens ut in capite, linea media abbreviata, laevissima et sub-elevata.

Scutellum nigro-holosericeum.

Elytra thorace vix latiora et longiora, sub-depressa, rufo-testacea, pubescentia.

Alae dilute ochrascentes.

Abdomen supra et subtus nigrum, sub-nitidum, obsolete punctulatum, pubescens, et pilosum, segmentis singulis basi plus minusve flave-sericantibus.

Pectus fusco-nigrum, tenue flavo-sericeo-pubescens.

Pedes rufo-testacei, femoribus interdum, coxis semper fuscescentibus.

Tarsi antici apud feminam vix dilatati.

Habitat in plurimis regionibus Europae, in Saxonia, Borussia etc. lectus saepius in acervis formicarum rufarum.

Nota. *Staph. lutario* similis et affinis, sed minor, abdomine minus elongato, maculis flavo-sericeis evanescentibus, femoribus nunquam totis nigris, capite et thorace virescente-aeneis et minus crebre punctulatis.

40. *St. Phoenicurus* Nordm.

Niger; antennarum articulo ultimo, palpis, elytris, anoque rufo-testaceis, in medio thoracis, colli et capitis linea continua, sub-elevata, laevis. Long. c. 7‴.

Descr. *Caput* mandibulis clausis sub-triangulare, latitudine thoracis et vix eo brevius, ad basin versus collare utrinque sub-emarginatum, angulis verticis rotundatis; supra nigerrimum, forte et creberrime granulato-punctulatum, absque nitore, nigro-pubescens, in medio linea angusta laevis, nitida; subtus nudum nigrum, vage-punctatum. *Clypeus* flavescens, labro ferrugineo, mandibulis nigris. *Palpi* rufo-testacei. *Antennae* capite fere tertia parte longiores, filiformes, extrorsum vix crassiores, articulis secundo et tertio basi rufescentibus, apicalibus fusco-testaceo-pubescentibus, articulo ultimo dilute rufo-testaceo. *Collum* angustum, nigrum, granulato-punctatum.

Thorax capite haud latior et nonnihil longior, antice truncatus, angulis paulo deflexis, lateribus rectis, postice rotundatus, supra colore, punctura et pubescentia capitis, linea media longitudinalis, sub-elevata, laevis et nitida.

Scutellum atro-holosericeum.

Elytra thorace non latiora et vix longiora, apice distincte oblique truncata, supra quadrata, rufo-testacea, creberrime et subtile punctulata, ut in ceteris propinquis, pubescentia. *Abdomen* pone elytra, longitudine fere reliqui corporis, nigro-fuscum, sub-nitidum, obsolete punctulatum, linea longitudinali nigra-sub-sammetina certo situ conspicua, ano rufo-testaceo, pubescente. *Corpus* subtus ano excepto, totum nigerrimum, nitidum, subtile, sed evidenter punctulatum, pubescens et pilosum.

Pedes nigro-picei, tarsis, capitulisque tibiarum obscure fusco-ferrugineis.

Habitat in Mexico D. Deppe. (Mus. Reg. Berol.).

41. *St. lutarius* Gr.

Fusco-piceus, capite thoraceque aurichalceis; abdomine supra flavo-sericeo-maculato; palpis, antennis, elytris, tibiis tarsisque rufo-testaceis.

Grav. Monogr. Micropt. p. 115. n. 131.

Descr. Long. c. $7\frac{1}{2}'''$. Statura elongata, color elytrorum plerumque pallide rufo-castaneus.

Caput sub-triangulare, thorace multo minus et praesertim brevius, supra convexum, aurichalceum nitidum, angulis verticis piceo-aeneis, creberrime punctatum, fulvo-pubescens; subtus nigro-piceum, nudum, nitidum, sparsim punctatum. *Clypeus* flavescens. *Labrum* ferrugineum. *Palpi* paulo elongati, dilute rufo-testacei *Oculi* rotundati, sub-convexi, nigerrimi.

Antennae capite paulo longiores, rufo-testacei, articulo primo interdum fusco-nigricante.

Collum aurichalceum, subtilissime punctulatum, pubescentia capitis. *Thorax* colore, punctura et pubescentia ut in capite, antice truncatus, lateribus rectis, postice rotundatus, supra convexus, nitidus, in medio linea abbreviata laevi, nitida. *Scutellum* nigro-holosericeum.

Alae pallide ochraceae, margine exteriore sub-fuscescente. *Elytra* longitudine et latitudine thoracis, quadrata, pallide rufo-castanea, sub-opaca, tenue et obsolete punctulata, dense fulvo-sericeo-pubescentia.

Abdomen elongatum longitudine reliqui corporis et paulo ultra, supra fusco-nigrum, segmentorum singulorum basi maculis tribus triangularibus flavo-sericantibus. *Pectus* piceo-aenescens, nitidum, subtilissime punctulatum, flavo-sericeum. *Abdomen* nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum, nigro-pilosum, segmentis ad basin flavo-sericeis, ano attenuato, fulvo-pubescente. *Femora* nigro-picea, margine inferiore, capitulis, tibiis nigrospinosis tarsisque pallide rufo-testaceis. *Tarsi* antici apud feminam minus dilatati.

Habitat in Europa merid. In Dalmatia D. Dahl. (Mus. Reg. Berol.)

39. *St. badius* Dej. Mannerh. l. cit. 23. 10.

Habitat in America boreali.

40. *St. cinnamopterus* Knoch. Micr. 164.

Patria America septentrionalis.

42. *St. ochropterus* Germ.

Fusco-piceus; capite et thorace aeneo-castaneis, abdomine maculis flavo-sericantibus et castaneis; elytris, palpis, tibiis tarsisque rufo-testaceis.

Germar Insector. species Vol. I. p. 34.

Descr. St. lutario affinis, sed sat diversus. Minus elongatus, antennis obscurioribus, capite et thorace fortius punctatis, abdominis segmentis singulis supra flavo-sericeo-castaneoque maculatis.

Long. c. $6\frac{1}{2}'''$ *Caput* magnum, thorace tamen minus et paululum angustius, sub-quadratum, postice sub-emarginatum, supra convexum, piceo-aenescens, sub-nitidum, crebre et profunde punctatum, rufo-castaneo-pubescens, in medio sincipitis areola linearis laevis et nitida conspicua; subtus nigro-piceum, nitidum, punctatum. *Clypeus* flavescens, labro piceo-ferrugineo apice pallidiore. *Palpi* breviusculi, rufo-testacei. *Oculi* fusco-brunnei. *Antennae* capite $\frac{1}{2}$ longiores, fere filiformes, articulo primo nigricante, sequentibus fusco-testaceis pubescentibus. *Collum* subtilissime punctulatum, fulvo-sericeum. *Thorax* basi paulo latior, antice truncatus, angulis deflexis, sub-compressis, postice exacte rotundatus, punctura et colore capitis, pubescentia obscuriore quam in St. lutario, in media linea laevi et nitida. *Scutellum* nigro-velutinum. *Elytra* thorace antico haud latiora longitudine ei aequalia; supra pallide rufo-castanea, sub-opaca, subtiliter et obsolete punctulata, pubescentia. *Abdomen* elytris dimidio fere longius, supra opacum, nigro-fuscum, obsolete punctatum. Segmenta quatuor basalia in medio maculam triangularem flavo-sericeam ferunt, cui ab utroque latere maculae obscure castaneae, certo situ vix conspicuae, associatae sunt. Segmentum ultimum basi fere tota latitudine flavo-sericeum, ano nigro-fusco-ferrugineoque piloso.

Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, punctulatum, pubescens, pectore et praesertim segmentis basi tenue flavo-sericantibus.

Coxae et femora fusco-picea, tibiis tarsisque rufo-testaceis.

Mas segmento ultimo apice impresso-emarginato, tarsis anticis valde dilatatis.

Habitat in Carinthia (D. Dahl.) et in Borussia.

Nota Specimen borussicum differt statura paulo minore, antennis extrorsum nonnihil infuscatis. (Mus. Reg. Berol.).

43. *St. Fossor* Grav.

Fusco-piceus, opacus, palpis, capite et thorace *fusco-rufis*; *elytris*, *tibiis et tarsis fulvis;* antennis fusco-sub-rufescentibus.

St. Fossor Grav. Monogr. Micropter. pag. 117. n. 136.

Magnitudo et statura St. castanopteri. Long. $6\frac{1}{3}'''$.

Descr. Caput magnum, sub-orbiculatum, latitudine thorace et paulo brevius, angulis posticis rotundatis; supra convexum, fuscescenti-rufum, undique creberrime et subtile punctulatum, absque nitore, tenue fulvescenti-pubescens et praeterea hinc et illinc pilis longis nigris sparsim instructum.

Clypeus albicans, labro fusco-rufescente. *Palpi* breviusculi, tenues, fusco-rufi. *Oculi* rotundati, convexiusculi, mediocres, nigricantes. *Antennae* elongatae, capite fere dimidio longiores, sub-validae, obscure fusco-rufescentes, articulo ultimo plerumque dilutiore.

Collum punctura, pubescentia et colore capitis.

Thorax latitudine paulo longior, antice truncatus, angulis deflexis, sub-compressis, fere rectis, lateribus valde obliquis, postice obtuse rotundatus sub-truncatus, supra convexus, rufescens, flavescenti-pubescens, opacus, subtilissime punctulatus, limbo antico nonnihil fuscescente, linea longitudinali obsoleta et vix conspicua.

Scutellum nigro-holosericeum.

Elytra thorace paulo latiora, sed vix longiora, apice rotundata et oblique truncata, supra sub-depressa, rufo-testacea et praesertim versus apicem pallide fulvescentia dense sericantia.

Abdomen pone elytra illis duplo longius, supra fuscum, sub-opacum, obsolete punctulatum, pubescens et pilosum, macula parva fulva-sericea in medio segmenti singuli, subtus piceum, nitidum, subtilissime, sed distincte punctulatum, pilosum, segmentis ad basin tenue flavo-argenteo-sericantibus.

Pectus, coxae et femora fusco-picea, tibiis et tarsis testaceo-fulvescentibus.

Tarsi antice valde dilatati.

Habitat in Europa meridionali, in Germania, Gallia, Italia etc.

44. *St. zonatus* Grav.

Aeneo-piceus, sub-nitidus; capite, thorace, elytris segmentorum marginibus tibiis et tarsis lateritiis; antennis et femoribus piceo-rufescentibus.

Grav. Micropt. 162. n. 7.

Descr. Long. 7‴. *Caput* sub-elongato-quadrangulum, thorace perparum angustius et vix brevius, angulis posticis sub-rotundatis; supra convexum, cupreo-lateritium, sub-nitidum, crebre et profunde punctatum, dense aureo-fulvescenti-sericans, subtus piceum, nudum, nitidum, vage punctatum.

Clypeus testaceus, labro rufo-ferrugineo-ciliato.

Palpi pallide rufescentes, elongatuli, articulo ultimo, reliquis nonnihil longiore. *Oculi* minuti, sub-trianguliformes, in mortuis albidi. *Antennae* capite paulo longiores, sub-tenues, piceae, articulis primo et secundo apice, — ultimisque totis rufescentibus.

Collum colore capitis dense fulvo-pubescens.

Thorax antice truncatus, angulis rectis, lateribus parallelis; postice rotundatus; supra immarginatus rufus vel lateritius (cupreo-aeneus *Grav.*), nitidus, punctura capitis, dense fulvo-sericeus, linea media sub-elevata, laevi, basin versus latiore.

Scutellum triangulare, sub-elongatum, nigro-holo-sericeum.

Elytra thorace vix latiora et paululum longiora, supra fere plana, pallide rufo-castanea, opaca, pubescentia fulvo-sericea dense tecta, subtilissime et obsolete punctulata.

Alae hyalinae, dilute ochrascentes.

Abdomen elytris triplo longius, nigro-piceum, nitidum, paulo violaceo-micans, rude sed subtile punctulatum, dense fulvo-pubescens, segmentorum marginibus late et toto ano rufis (cinnabarinis *Grav.*).

Pectus aeneo-piceum, sub-nitidum, subtile punctulatum, flavescenti-sericeum

Femora piceo-ferruginea, flavescenti-sericantia, tibiis spinosis et tarsis pallide rufo-testaceis.

Tarsi in utroque sexu dilatati.

Habitat in Amer. septentr. (Mus. Reg. Berol.).

45. *St. fodiens* Grav. Monogr. 116. 134.

Habitat in Carolina.

46. *St. dauricus* Dej. Mannerh. l. c. 22. 5.

Habitat in Dauria.

47. *St. erythropennis* (!) Dej. Mannerh. 22. 6.

Est verus *St. maculosus* Grav. Micr. 165. 13.

Habitat in Amer. boreali.

48. *St. immaculatus* Harris Mannerh. 22. 7.

Patria America.

49. *St. quadraticeps.*

Ménétries catalogue raisonné des objets de zoologie recueill. dans un voyage au Caucase etc. (1832.) p. 143. 573.

Habitat in Alpibus Talysch.

B. Antennis paulo tenuioribus, articulis elongatulis.

Goerius Leach et *Ocypus* Kirby ex parte.

50. *St. olens* Fabr. Gyll. II. p. 285.

Habitat fere ubique in Europa.

51. *St. megalocephalus* Nordm.

Fuscus; capite et thorace nigro-aeneis; elytris brevissimis obscure rufescentibus; abdomine fusco-fulvescente-pubescente.

Descr. St. macrocephalo proximus, angustior, capite et thorace fortius punctulatis, elytris dilutioribus etc. Long. c. 8‴ latit. $1\frac{1}{2}$‴.

Caput maximum, thorace multo latius, sed brevius, sub-quadrangulum, supra convexum, nigro-aeneum, nitidum, crebre et forte punctatum, tenue fusco-pubescens, in medio linea sub-elevata, nitida; subtus nigro-piceum, nitidissimum, vage punctatum. *Clypeus* flavescens labro nigro, fulvo-ciliato. *Stipites* palporum nigro-ferruginei palpis obscure rufescentibus. *Oculi* rotundati nigricantes. *Mandibulae* breviusculae, nigrae.

Antennae capite dimidio longiores, tenues, articulis 4 primis nigris, nitidis, sequentibus fusco-pubescentibus versus apicem rufescentibus.

Collum angustum, nigro-aenescens, subtiliter punctulatum.

Thorax antice truncatus, angulis obtuse rotundatis, lateribus obliquis, postice fere truncatus, supra modice convexus, immarginatus, nigro-aenescens, crebre et forte punctatus, nitidus, linea longitudinali sub-elevata laevi et nitida.

Scutellum nigro-piceum, sub-nitidum, subtile et obsolete punctulatum.

Elytra thorace paulo angustiora et fere dimidio breviora, brevissima, sordide rufa, tenue pubescentia, opaca, subtiliter punctulata.

Abdomen elytris quadruplo longius, fuscum, tenue pubescens, subtilissime et vix conspicue punctulatum, subtus nitidum, obscure brunneo-spadiceum.

Pectus pubescentia et colore abdominis.

Pedes minus elongati obscure fusco-brunnei, tibiis et tarsis paulo dilutioribus.

Tibiae absque spinulis pilis breviusculis dense armatae. *Tarsi* antici ferruginei, apud feminam minus dilatati.

Variat abdomine obscuriore.

Habitat in Carinthia ubi a D. Dahl inventus. (Mus. Reg. Berol.)

52. *St. macrocephalus* Grav.

Fuscus, capite et thorace nigro-piceis; elytris piceo-rufescentibus; abdomine et pedibus fusco-piceis.

Grav. Micropt. 160. 3.

Descr. Long. 8 — 9‴. Latitud. 2½‴. *Caput* maximum, transversum, thorace multo latius et vix brevius, sub-rotundatum, basi paulo attenuatum, angulis rotundatis, supra modice convexum, nigrum aut nigro-piceum, aenescens, nitidum, crebre, sed haud profunde punctatum, tenue fusco-pubescens, in medio linea laevi, nitida, obsoleta; subtus piceum, nudum, nitidissimum. *Clypeus* albido-flavescens, labro piceo-ferrugineo. *Palpi* breviusculi, obscure rufescentes. *Mandibulae* haud elongatae, basi valde incrassatae, nigrae. *Oculi* parvi, depressi, oblique positi, ovati, in mortuis albicantes. *Antennae* capite fere duplo longiores, graciles, filiformes, extrorsum tenuiores, pubescentes, articulis omnibus paulo elongatis, basi nigro-piceis, versus apicem et praesertim articulis tribus ultimis rufescentibus.

Collum colore capitis, subtile punctulatum.

Thorax elytris paulo angustior et longior, antice truncatus et nonnihil latior quam basi, angulis deflexis et sub-compressis, rotundatis, lateribus sat obliquis, ad basin angulis obtusis, sed distinctis; postice valde obtuse rotundatus fere truncatus; supra convexus, niger, picescens, sub-nitidus, confertim subtile, sed parum forte punctatus, fusco-pubesces, in medio linea obsoleta, laevis versus basin carinulam formans.

Scutellum depressum, opacum, fusco-rufescens.

Elytra brevissima, capite vix longiora, supra depressa, obscure piceo-rufescentia, coriacea, tenue pubescentia et obsolete punctulata.

Abdomen longitudine reliqui corporis vel fere longius, latum, supra et subtus sub-nitidum, confertissime et subtile punctulatum, nigro-piceum, fusco-pubescens.

Pedes fusci, tibiis minus spinosis, tarsis paulo dilutioribus. Tarsi antici in utroque sexu dilatati, fusco-ferruginei.

Habitat in montibus Hercyniae.

53. *St. pedator* Grav.

Niger sub-nitidus; elytris nigris sub-coerulescentibus, palpis antennis pedibusque rufis.

Grav. Micr. 163. 9.

St. rufipes Dej. Latr.

Descr. E longioribus, longit. 8 — 10‴ latit. apice elytrorum fere 2‴. *Caput* mandibulis clausis sub-rotundatum, apice paululum attenuatum, angulis basalibus rotundatis, supra convexum, nigrum, nitidum, vix pubescens, crebre et forte punctatum, punctis minutissimis intermixtis, in medio frontis foveola obsoleta punctata et in sincipite linea abbreviata, obsoleta, nitida; subtus nigrum, nitidum, punctatum. *Clypeus* sordide flavescens. *Labrum* piceo-ferrugineum, fusco-ciliatum. *Mandibulae* breviusculae, validae, unidentatae, nigrae. *Palpi* ferruginei, labiarum articulo ultimo paulo truncato. *Oculi* oblongi, mediocres, haud convexi, nigricantes. *Antennae* capite duplo longiores, extrorsum, tenuiores, articulis omnibus elongatis obconicis, ultimo oblique lunulato, ferrugineo-rufescentes, pubescentes, articulo primo et tribus ultimis plerumque paulo dilutioribus.

Collum angustum, capite subtilius punctulatum.

Thorax capite non latior, sed fere dimidio longior, antice truncatus, angulis paulo inflexis, rectis et nonnihil rotundatis; postice obtuse rotundatus; supra convexus, niger, sub-nitidus, crebre et forte punctatus, punctis minutis ut in capite intermixtis, lateribus et ad basin tenue marginatus, linea media laevi et nitida.

Scutellum depressum, nigrum, sub-nitidum, crebrius punctulatum.

Elytra thorace non latiora et vix longiora, supra nonnihil convexa, nigra, obsolete sub-coerulescentia, sub-nitida, creberrime et forte punctata, tenuissime nigro-pubescentia.

Alae albo-hyalinae, diaphanae.

Abdomen pone elytra reliquum corpus paulo superans, nigrum, sub-nitidum, creberrime et subtile punctulatum, tenue pubescens, segmentorum marginibus nigro-ciliatis.

Pedes rufi, coxis basi obscurioribus, tarsis in utroque sexu dilatatis.

Variat. Major, antennis et pedibus piceo-rufescentibus, elytris nigerrimis.

Habitat in Europa meridionali, Dalmatia. In collectione D. Reich Berolini nomine Staph. *Dejeanii* Dahl. (Mus. Reg. Berol.).

54. *St. lugens* Nordm.

Unicolor nigerrimus; capite et thorace sub-nitidis, creberrime et profundius punctulatis; elytris opacis, subtilius granulato-punctulatis.

Descr. Long. 8$\frac{1}{3}$‴ Staphyl. simili affinis, an ejus varietas? *Caput* magnum, long. 2″, sub-quadrangulum, apice haud attenuatum, supra convexum, nigerrimum, sub-nitidum, tenuissime pubescens, undique punctis aequalibus creberrimis et profundis impressum, medio sincipitis linea abbreviata, angusta, laevissima et nitida; subtus nigrum, nitidum, crebre punctatum. *Clypeus* et labrum nigro-picea. Os et palpi piceo-ferruginea.

Mandibulae nigrae. *Oculi* minuti, sub-rotundati, haud convexi, nigerrimi.

Antennae capite longiores, tenues, articulis omnibus elongatis, nigricantibus versus apicem vix nonnihil dilutioribus.

Collum colore capitis, sed adhuc subtilius punctulatum.

Thorax capite perparum angustior, longitudine ei aequalis, antice truncatus, angulis deflexis, sub-rectis, lateribus ſere parallelis, postice obtuse rotundatus, supra transversim fornicatus et convexior quam apud St. similem, vix marginatus, nigerrimus, sub-nitidus, punctura capitis, in medio longitudinaliter laevis.

Scutellum magnum, apice acuminatum, nigrum, sub-nitidum, crebre et subtiliter punctulatum.

Elytra thorace angustiora et multo breviora, long. $1\frac{1}{3}'''$, supra fere plana, nigerrima, opaca, confertissime et subtiliter sub-ruguloso-punctata, superficie tota pube brevissima griseo-nigricante obtecta.

Abdomen pone elytra longitudine reliqui corporis, opacum, subtilissime et confertissime punctulatum, sub-pubescens.

Corpus subtus sub-nitidum, nigrum, punctulatum, pubescens, haud pilosum.

Pedes validi, nigri, tarsis piceis. *Tarsi* in utroque sexu dilatati.

Habitat in Russia meridionali ubi prope Astrachan D. Ehrenberg individuum unum invenit. (Mus. Reg. Berol.)

A Stap. simili differre videtur: capite et thorace paulo convexioribus, nitidioribus, nonnihil profundius punctatis elytrisque magis opacis.

55. *St. masculus* Hoffmansegg. in Mus. Berol.

Niger vel nigro-piceus, sub-opacus, omnium subtilissime punctulatus; linea in medio thoracis et capitis deficiente, macula grisea in media segmentorum vix indicata. Long. $6\frac{3}{4}'''$.

Descr. Intermedius inter Staph. similem et picipedem, quibus et ovum ovo similimus, sed ab utroque linea longitudinali thoracis deficiente, et punctura adhuc subtiliore ut videtur diversus.

Caput sub-quadratum, thorace latius, sed paululum brevius, supra modice convexum, nigro-piceum, confertissime et subtilissime punctulatum, tenue fusco-pubescens. *Clypeus* testaceus. Labrum, os et palpi-fusco-ferruginei.

Antennae capite fere dimidia parte longiores, tenues, basi fusco-piceae, articulis 5 — 6 extrorsum piceo-ferrugineis, pubescentibus.

Oculi perparum majores quam in *St. simili*, ceterum relatione magnitudinis animalculi, minuti ut in propinquis hujus sectionis.

Collum, *Thorax*, *Elytra* et *Scutellum* ut in praecedente, sed multo subtilius punctulata, elytrisque perparum longioribus.

Abdomen nigro-fuscum, opacum, subtilissime et obsolete punctulatum, pubescens in uno individuo macula parva grisea segmenti primi et secundi conspicua.

Apud specimen alterum plane abest, sed forsan detrita.

Corpus reliquum subtus vel nigrum, aut obscure fusco-picrum, nitidum, subtilissime et confertissime punctulatum, tenue fusco-pubescens.

Pedes nigro-picei, vel fusco-picei, tarsis anticis fusco-ferrugineis, dilatatis.

Habitat in Lusitania D. Hoffmansegg. Specimina duo in Museo ditissimo Berol. asservantur.

56. *St. similis* Payk. Gyllenh. II. p. 287.

Habitat in Europa et Sibiria.

57. *St. picipes* Dahl.

Nigro-piceus, sub-nitidus, confertissime et subtilissime punctulatus; palpis, antennis pedibusque fusco-piceis, in basi segmenti singuli macula obsoleta fulvo-sericea. Long. 7‴.

Descr. Staph. simili habitu et statura proximus, sed differt punctura subtilissima, maculisque abdominalibus indicatis.

Caput si mandibulae clausae sunt ovatum, apice attenuatum, angulis posticis paulo rotundatis, supra modice convexum, nigrum fere nitidum, tenuissime fusco-pubescens undique confertissime et subtilissime punctulatum, ad basin antennarum, pone oculos et in latere occipitis utrinque puncta perpauca majuscula conspicua; subtus nigrum, nudum, nitidissimum, vage punctatum. *Clypeus* flavescens, labro piceo, ciliato. *Palpi* breviusculi obscure rufo-ferruginei, stipitibus picescentibus.

Oculi mediocres, sub-rotundati, haud convexiusculi, nigricantes.

Antennae capite vix paulo longiores, piceo-ferrugineae, pubescentes, apice dilutiores, articulis omnibus, excepto secundo sub-elongatis, obconicis.

Collum sat distinctum colore et punctura capitis.

Thorax capite vix latior et paululum longior antice truncatus, angulis subdeflexis, lateribus fere rectis et parallelis, postice obtuse rotundatus, supra transversim fornicatus, convexior quam in *Stap. simili,* sub-nitidus, confertissime punctulatus, niger, nonnihil picescens, tenuissime fusco-pubescens, lateribus vix marginatus, basi pone scutellum lineola abbreviata laevis et nitida, non semper conspicua.

Scutellum opacum, apice sub-nigro holosericeum.

Elytra latitudine thoracis, interdum eo paululum breviora, apice evidenter oblique truncata, supra sub-plana, nigra vel nigro-picescentia, opaca confertissime et subtilissime granulato-punctulata, tenue fusco-pubescentia.

Abdomen longitudine reliqui corporis, nigrum sub-nitidum, subtiliter punctulatum, tenue fusco-pubescens, ad basin singuli segmenti, ultimo tamen excepto, in medio macula parva, fulvo-sericea certo situ et praesertim a latere conspicua.

Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, subtiliter, sed evidenter punctulatum, perparum pubescens, ano paulo pilifero.

Pedes fusco-picei, tarsis nonnihil dilutioribus, anticis in utroque sexu dilatatis.

Habitat in Europa meridionali. Ex Austria D. Dahl specimina nonnulla misit. (Mus. Reg. Berol. Collect. D. Reich.).

58. *St. fuscatus* Gyllenh. IV. 474. 9 — 10. *St. nigripes* Dej. St. obscurus Marsh. 514. *St. obscuratus* Kirby.

Habitat in Europa, in Borussia frequens.

59. *St. azurescens* Dej. Mannerh. l. cit. 23. 15. St. cyaneo similis, subtilius tamen punctulatus et defectu lineae in fronte et thoracis dorso distinguendus Mannerh.

Habitat in Europa meridionali, Dalmatia.

60. *St. cyaneus* Payk. Gyll. II. p. 286.

Habitat in Europa.

61. *St. aeneocephalus* De Geer. Gyllenh. II. p. 291.

Habitat in Europa.

62. *St. chalcocephalus* Fabr. Gyll. IV. p. 476. Observat. In Suecia, Gallia, Germania, Livonia.

St. chalcoderus Mannerh. in litt. chalcocephalo valde affinis, tamen differre videtur.

63. *St. aeneicollis* Dahl. Gyll. IV. p. 475. 12 — 13.

Habitat in Europa.

64. *St. sericeicollis* Ménétr.

Niger, densius pubescens; capite thoraceque aeneis, elytris fusco-sericeus sutura rufescente; antennis tarsisque rufis.

Ménétries Catalogue raisonné p. 143. 570.

Long. 5‴ latitug. $1\frac{1}{2}$‴. Medius inter St. aeneocephalum et aeneicollum sed adhuc paulo longior magis pubescens, thorace oblongo, subtiliter punctulato evidentiusque carinato. Affinis St. strigato.

Habitat in montibus prope Lenkoran.

Nota Speciem hanc ipse non vidi.

65. *St. strigatus* Megerle, Dahl.

Niger, capite et thorace aeneis subtilissime punctulatis, nitidis; elytris fusco-virescentibus, lateribus inflexis et sutura rufis; antennis tibiis tarsisque fusco-ferrugineis; abdomine supra griseo-cinereo-lineato.

Descr. St. aeneicolli simillimus et proximus, sed paulo major, long. 6‴, thorace convexiore, elytris longioribus et latioribus marginibus lateralibus rufis. Intermedius inter aeneocephalum et aeneocolle. A priore tamen statim punctis in utroque latere lineae mediae thoracis seriatim digestis, discernitur.

Caput ovatum, magis quam in aeneicolli, thorace paulo angustius et multo brevius; supra convexum, aeneo-virescens, nitidissimum, undique confertissime et subtilissime punctulatum, pube gricescente et longiore obtectum, pone oculos et in vertice punctis perpaucis majusculis impressis; subtus nigro-piceum, nitidum, tenue pubescens, vage punctatum. *Oculi* majusculi, convexi, magni. *Clypeus* sordide testaceus, labro piceo-ferrugineo.

Palpi piceo-rufescentes.

Antennae capite longiores, rufo-fuscescentes.

Collum punctura et pubescentia capitis.

Thorax antice truncatus, angulis magis inflexis quam in St. aeneicolli, lateribus rectis et parallelis; postice obtuse rotundatus; supra valde convexus, tenuissime marginatus, piceo-aenescens, virescens, nitidus, confertissime et subtilissime punctulatus, pube longiore grisea in strigas dispensata vestitus, in medio linea angusta laevi et nitida, utrinque punctis majusculis seriatim collocatis circumdata et praeterea versus angulum anticum in margine laterali et postico punctis perpaucis magnis impressis.

Scutellum nigro-holosericeum.

Elytra thorace paulo latiora et longiora, supra modice convexa, fusco-olivaceo-virescentia, sub-opaca, confertissime punctata, sutura et lateribus inflexis rufo-ferrugineis, utrinque in medio punctis 3 impressa.

Abdomen longitudine fere reliqui corporis, nigro-fuscum, opacum pubescens, lineis 5 longitudinalibus griseo-sericeis striatum, segmentis singulis punctis 4 — 5 transversim positis, nitidis, impressis.

Corpus subtus nigro-piceum, subtilissime punctulatum dense griseo-pubescens.

Coxae et femora nigro-picea, tibiis et tarsis piceo-ferrugineis. Tarsi antici maris sat dilatati. Spinulae tibiarum evidentiores quam in St. aeneicolli.

Habitat in Italia prope Pisam. D. Dahl. (Mus. Berol.).

66. *St. picipennis* Dej.

Fusco-piceus; capite et thorace piceo-aeneis nitidis; palpis, elytris, pedibusque rufo-testaceis.

Descr. Long. 5½ — 6‴. Statura St. aeneicollis. *Caput* ovatum, minus quam in ceteris, thorace minus et praesertim brevius, supra convexum, piceo-aeneum, paulo virescens; nitidum, creberrime et subtiliter punctulatum tenue fulvo-pubescens; subtus nigrum, nitidum, vix punctatum. *Clypeus* obscurus, labro piceo-ferrugineo ciliato. *Palpi* breviusculi, tenues, pallide rufo-testacei. *Antennae* capite paulo longiores, subtenues, toti rufo-testaceae aut tantum basi rufescentes, extrorsum plus minusve fusco-pubescentes.

Collum colore capitis sed adhuc subtilius punctulatum.

Thorax antice truncatus, postice rotundatus, supra immarginatus, piceo-aeneo-virescens, nitidus, punctura capitis, tenue pubescens, medio laevis et nitidus. *Scutellum* nigro-holosericeum.

Alae albo-hyalinae vix ochrascentes.

Elytra thorace non latiora et fere paulo breviora, supra minus convexa, fere plana, quadrata, rufo-testacea, subtiliter et crebre punctulata, pubescentia, brevissima rufo-sericea tecta.

Abdomen pone elytra longitudine reliqui corporis, nigro-fuscum, subtile et obsolete punctulatum, pilis fuscis et griseo-sericeis sparse vestitum, segmentorum marginibus fulvo-ciliatis.

Corpus subtus fusco-piceum, nonnihil rufescens, creberrime et subtiliter punctulatum, pubescens. *Pedes* rufo-testacei, coxis rufo-piceis, tibiis anticis et mediis valde spinulosis, tarsis anticis in utroque sexu dilatatis.

Mas segmento ultimo tantum apice paulo impresso, haud emarginato.

Habitat in Europa meridionali. In Australia D. Dahl. (Mus. Reg. Berol.).

67. *St. sub-punctatus* Dej. Gyll. IV. p. 474.

Habitat in Europa.

68. *St. uralensis* Mannerh. l. cit. 24.

Thorace postice foveolis duabus longitinalibus a praecedente diversus.

Habitat in Sibiria.

69. *St. praelongus* Say. Mannerheim l. cit.

Habitat in America septentrionali.

70. *St. protensus* Ménétr. Catalogue 141.

Elongato-angustatus; capite et thorace nitidis, carinatis, crebre punctatis; elytris cyanescentibus subtile punctulatis. Long. $5\frac{1}{4}'''$, latit. $1\frac{1}{3}'''$.

Habitat in summis alpibus Caucasi.

71. *St. erythropus* Payk. Gyll. II. p. 290. St. tricolor Grav.

Habitat in Europa.

72. *St. brunnipes* Fabr. Gyll. II. p. 289.

Patria Europa: Germania, Anglia, Suecia, Tauria etc.

73. *S. chalybeipennis* Ménétr.

Niger, capite thoraceque carinatis profunde punctatis; elytris coerulescentibus, confertissime punctulatis; pedibus antennarumque basi et apice rufis. Long. $7\frac{1}{2}'''$ lat. $1\frac{3}{4}'''$. Praecedenti affinis capite et thorace fortius punctatis. Ménétr. Catalog. p. 144.

Habitat in montibus Talysch Trans-Caucasi.

---

13. PHILONTHUS Leach.

Staphylinus L. Auct.

Subdivisio I.

THORACIS DISCO IMPUNCTATO.

1. *Ph. splendens* Fabr.

Niger, nitidus; elytris aeneo-virescentibus profunde punctatis; thorace antice latiore, postice lateribus sinuato. Long. $5'''$.

Staph. splendens Auct. Gyll. II. p. 297.

Philonthus Leach *A* systematic catalogue of Britisch Insects by James Francis Stephens Lond. 1829.

Var. b. Dimidio minor.

Habitat in Europa: Suecia, Rossia, Germania, Gallia etc.

2. *Ph. laminatus* Creutzer.

Niger, nitidus, elytris aeneo-subvirescentibus modice crebre punctatis, thorace lateribus sub-sinuato. Long. $4\frac{1}{2}'''$.

St. laminatus Gyll. II. p. 298.

Descr. Caput maris sub-quadrangulum, thorace antico paulo latius, subtransversum, apud feminam rotundatum, supra viridi-aeneum, nitidissimum etc.

Thorax minus convexus quam in specie seq., antice truncatus, angulis minus inflexis, lateribus rotundatis ad basin sub-sinuatis; postice obtuse retundatus; supra viridi-aeneus, nitidissimus, politus et laevis; intra angulum anticum puncta 2 et versus discum iterum 2, quorum unum fere in margine, alterum versus latus situm et praeterea antice in margine puncta nonnnlla impressa.

Elytra aenea sub-virescentia, nitida, minus crebre punctata, pubescentia. Ceterum vid. Descr. Gyllenhalii.

Habitat fere ubique in Europa: Rossia, Suecia, Germania, Gallia etc.

3. *Ph. viridanus* Eschscholtz in litter.

Niger, nitidus; elytris viridi-sub-aenescentibus crebrius punctatis; thorace convexiore lateribus rotundatis, capite sub-ovato. Long. $4\frac{1}{2}'''$.

Descr. Praecedente simillimus et valde affinis. *Caput* rotundato-ovatum, thorace angustius, supra convexum, viridi-aenescens; nitidissimum, laeve, politum, inter oculos punctis 4 et in angulis verticis punctis nonnullis profundis plerumque tamen paulo minoribus quam in Ph. laminato; subtus nigrum, nitidissimum, laevissimum, impunctatum.

Clypeus obscure testaceus labro nigro-piceo.

Oculi majusculi, oblongi, nigro-brunnei.

Antennae longitudine capitis et thoracis, extrorsum paulo crassiores, nigricantes, fusco-pubescentes, articulis singulis basi interdum nonnihil fusco-rufescentibus.

Palpi tenues, nigro-picei. *Mandibulae* nigrae. *Collum* viridi-aeneum, nitidissimum, laevissimum.

Thorax capite multo major, antice sub-emarginatus, angulis magis inflexis quam in priore, lateribus rotundatis et nonnihil dilatatis; postice obtuse rotundatus; supra et praesertim antice multo convexior, colore et punctura omnino ut in Ph. laminato, punctis attamen paulo minoribus impressis.

Scutellum nigro-coerulescens, crebre punctatum.

Elytra thorace medio adhuc latiora et paulo longiora, supra sub-depressa, *viridi-coerulescentia*, nitida, pubeseentia, distincte *crebrius* et *leviter* punctata.

Alae albo-hyalinae, macula marginali et striis fuscescentibus.

Abdomen supra et subtus nigrum, nitidum, pubescens, crebre sed minus rude et paulo subtilius quam in priori punctatum. *Pedes* nigri, tibiis spinulosis, tarsis anticis vix dilatatis.

Segmentum abdominis antipenultimum maris productum, segmentum sequens plane tegens, lateribus sinuatum; segmentum penultimum apice obtuso et vix emarginatum; ultimum emarginatum.

Habitat in Germania, Livonia etc.

Obs. D. Sturm speciem hanc sub nomine „chalybaeipennis“ communicavit.

Subdivisio II.

THORACIS SERIEBUS DORSALIBUS 3-PUNCTATIS.

Quedius et Raphirus Leach.

I. Species europeae.

a) Oculis magnis.

4. *Ph. tristis* Fabr. Gyll. II. p. 301.

Habitat fere ubique in Europa.

5. *Ph. frontalis* Nordm.

Nigro-piceus sub-nitidus; antennis ferrugineis, fronte punctis 6 impressa; scutello punctato; pedibus segmentorumque marginibus piceo-ferrugineis.

Descr. Ph. tristi proximus, scutello punctato, elytris minus nitidis sat differt.

Caput et *Thorax* omnino ut in priori, in fronte inter oculos puncta 6 vel 7 serie transversali plerumque per paria impressa.

Os et *Palpi* piceo-ferruginei. Antennae tenues ferrugineae.

Series dorsales thoracis 3-punctatae, punctis parvis, aequali spatio invicem remotis.

Scutellum nigro-piceum, sub-opacum, creberrime rugoso-punctatum.

Elytra longitudine et latitudine thoracis, supra depressa, nigro-picea, fere opaca, creberrime et subtile rugoso-punctata, densius pubescentia.

Abdomen nigro-piceum, supra minus subtus magis aeneo-micans, subtile et crebre punctulatum et pubescens, segmentorumque marginibus inprimis subtus pulcherrime violaceo- et aeneo-micantibus.

Habitat in Gallia? (Collect. D. Stevenii). Symperopoli.

6. *Ph. molochinus* Grav. Gyll. II. p. 302. *var. b* et *c* Gyll.

Habitat in Suecia, Gallia, Anglia, Tauria, Germania etc.

7. *Ph. lateralis* Grav. Gyll. IV. p. 477.

Habitat in Germania et Suecia.

8. *Ph. ruficornis* Grav. Monogr. p. 50.

Habitat in Gallia et Anglia.

9. *Ph. variicolor* Sturm.

Niger, nitidus; ore et antennis rufo-testaceis; elytris et pedibus fusco-ferrugineis; oculis magnis; scutello glabro; elytris crebre punctatis. Long. $3\frac{3}{4}'''$.

Descr. *Ph. mauro-rufo* et *picipedi* similis, sed major. Statura Ph. tristis et praecedentis, sed paulo minor. *Caput* magnum, apud ruficorne parvum, sub-orbiculatum, thorace tamen paulo angustius, nigrum, nitidissimum, laeve, punctura ut in Ph. maurorufo.

Os et *Palpi* rufo-castanei. *Oculi* magni, oblongi, glauci. *Antennae* longitudine thoracis, totae rufae. *Labrum* fusco-piceum. *Mandibulae* validae piceo-ferrugineae. *Thorax* fere semicircularis, capite latior et longior, longitudine fere 1‴, antice sub-emarginatus, postice obtuse rotundatus, supra niger, nitidissimus, laevis, tenuissime marginatus, punctura ut in Ph. mauro-rufo.

Scutellum nigrum, nitidum, glabrum.

Elytra longitudine et latitudine thoracis, supra depressa, obscure vel sordide rufo-ferruginea, nitida, crebre, sed minus profunde punctata, pubescentia.

Abdomen supra nigrum, aeneo- et violaceo-micans, crebre et subtile punctulatum, segmentorumque marginibus tenue ferrugineis. *Corpus* subtus totum piceo-ferrugineum aeneo- et violaceo sat micans, nitidissimum, crebre et subtile punctatum, pubescens, segmentorum ventralium marginibus ferrugineo-violaceis.

Pedes obscure rufo-ferruginei, tarsis anticis apud feminam *haud* dilatatis.

Differt a Ph. ruficorni capite majore, coloreque pedum etc.

Habitat in Gallia meridionali (Coll. D. Sturm).

10. *Ph. mauro-rufus* Grav. Gyll. II. p. 309.

Habitat fere ubique in Europa.

11. *Ph. picipes* Kollar.

Fusco-piceus, nitidus; ore, antennis, elytris pedibusque rufo-castaneis; oculis magnis, elytris crebre punctatis, scutello glabro; corpore subtus ferrugineo. Long. 3‴.

Mannerheim l. cit. p. 26.

Descr. Caput sub-orbiculatum, thorace paulo angustius, nitidum, laeve, punctura iterum ut in Ph. mauro-rufo. *Labrum* nigro-piceum. *Palpi* tenues rufo-castanei. *Antennae* capite dimidio longiores, tenues, extrorsum nonnihil crassiores, totae rufo-castaneae, pubescentes, articulo ultimo paulo elongato. *Thorax* ut in Ph. mauro-rufo. *Scutellum* nigro-piceum, laevissimum.

Elytra thorace paulo latiora et longiora, supra depressa, rufo-castanea, sub-nitida, crebre sed minus profunde punctulata, pubescentia.

Abdomen longitudine reliqui corporis, supra nigro-piceum, nonnihil violaceo- et aeneo-micans, punctulatum, pubescens.

Corpus subtus piceo-ferrugineum, violaceo- et aeneo-micans, crebre punctulatum, pubescens.

Pedes toti rufo-testacei, tarsis anticis apud feminam minus dilatatis.

Habitat in Insula Corcyra D. Parreys. (Collect. D. D. Stevenii et Mannerheimii).

12. *Ph. praecox* Grav. Gyll. II. p. 310.

Habitat in Europa septentrionali.

13. *Ph. attenuatus* Grav. Gyll. II. p. 311.

Habitat in Germania, Suecia etc.

14. *Ph. boops* Grav. II. p. 312.

Habitat ubique in Europa.

Var. taurica. Dimidio adhuc fere minor, nitidissimus, thorace angustiore et minore, abdomine nigerrimo, aeneo-micante.

Habitat in Tauro-Chersoneso. (Coll. D. Stevenii).

b) Oculis mediocribus vel parvis.

15. *Ph. variabilis* Gyll. II. p. 303.

Var. b. c. d. e. g. h. Gyll. et Mannerh.

Habitat ubique in Europa.

16. *Ph. assimilis* Nordm. Variabilis var. *f* Gyll.

Habitat cum praecedente.

17. *Ph. fuliginosus* Grav. Micropt. p. 34.

Ph. molochino similis, oculis tamen minoribus differt.

Habitat in Germania D. Sturm, Wolhynia D. Du Bois., in Fennia D. Mannerheim.

In Tauria et circa Odessam copiose legi.

18. *Ph. scitus* Grav. Gyll. II. p. 306.

Habitat in Germania, Suecia, Russia etc.

19. *Ph. laevigatus* Gyll. II. p. 306.

Habitat in Suecia et Germania In Podolia D. Du Bois.

20. *Ph. impressus* Panzer Gyll. II. p. 307.

Habitat in Russia, Germania, Suecia,

21. *Ph. rufo-cinctus* Mannerh. l. cit. p. 26.

Habitat in Suecia et Fennia.

22. *Ph. marus* Mannerh. Sahlberg Ins. fennica p. 317.

Niger, nitidus, ore, antennis extrorsum pedibusque piceo-ferrugineis, elytris profunde punctatis, antennis thorace brevioribus. Long. $2\frac{3}{4}'''$.

Habitat in Fennia.

II. Species exoticae.

23. *Ph. capucinus* Grav. Monogr. p. 40.

Niger nitidus; palpis et antennis fusco-rufescentibus; pedibus rufis, elytrorum marginibus crebre, disco vagepunctatis. Long. $3'''$.

Habitat in America boreali. (Mus. Reg. Berol.).

24. *Ph. pediculus* Eschscholtz.

Nigro-piceus, nitidus; elytris glabris, rufo-marginatis vage striato-punctatis; fronte 4 punctata; segmentorum marginibus rufo-ferrugineis. Long. $3'''$.

Descr. Ph. impresso proximus. *Caput* thorace multo minus et angustius, sub-orbiculatum, nigrum, nitidum, laeve, punctis nonnullis in angulis verticis *quatuor inter oculos* ut in speciebus sectionum sequentium, quibus etiam forma et habitu appropinquat.

Labrum et palpi nigropicea. *Oculi* mediocres, glauci.

Antennae elongatae, longitudine capitis et thoracis extrorsum crassiores, articulis 3 basalibus nigro-piceis, sequentibus fusco-pubescentibus.

Thorax sub-orbiculatus, antice sub-emarginatus, postice obtuse rotundatus, tenue marginatus, punctura ut in Ph. impresso.

Scutellum sub-laeve.

Elytra thorace vix latiora et paulo longiora, supra depressa, nigro-picea, nitidissima, sutura, postice et marginibus lateralibus rufo-ferruginea, glabra et vage striato-punctata ut in Ph. impresso.

Abdomen longitudine reliqui corporis, nigro-piceum, nitidum, subtile punctulatum.

Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, aeneo- et coeruleo-micans, rude punctatum, pubescens.

Pedes toti nigro-picei, tarsis fusco-ferrugineis, anticis in mare valde dilatatis.

Habitat in Unalaschka et Amer. boreal. (Collect. Mannerh. et Sturmii).

SUBDIVISIO III.

THORACIS SERIEBUS DORSALIBUS 4-PUNCTATIS.

A. Cyanopteri.

25. *Ph. coeruleipennis* Mannerh.

Niger nitidus, elytris coeruleis, capite sub-quadrangulo.

Mannerh. l. cit. p. 27.

Descr. Ph. aeneo paulo major et latior long. 5‴.

Caput maris magnum, transversum sub-quadrangulum, latitudine fere thoracis, nigrum, nitidum, laeve; angulis verticis et pone oculos punctis paucis sat profunde impressis; in antico frontis foveolae duae magnae et distinctae.

Labrum nigrum, profunde incisum, nigro-ciliatum. *Mandibulae* longissimae, acutae, arcuatae palpis sub-elongatis nigro-piceis. *Antennae* capite dimidio longiores, extrorsum crassiores, nigrae, fusco-pubescentes.

Thorax antice truncatus, angulis deflexis, lateribus tenue marginatis, rotundatis; basi obtuse rotundatus, supra modice convexus, niger, nitidus, laevis; intra angulum anticum puncta 4, dein series arcuata e punctis 3 et versus medium dorsi series e punctis 4, omnibus sat profundis, in margineque thoracis praesertim ad basin punctis plurimis, parvis impressis.

Scutellum nigrum, crebre et rude punctatum.

Elytra thorace multo latiora et paulo longiora, supra depressa, coerulea vel paulo purpurascentia, nitida, crebre et rude punctata, tenue pubescentia.

Corpus reliquum supra et subtus nigrum sub-coerulescenti-micans, subnitidum, crebre punctulatum et pubescens, segmento ultimo maris profunde emarginatum.

Pedes toti nigropicei.

Habitat in America boreali. (Collect. D. Stevenii).

Observ. Staphilinum cyanepennem in Gallia, Parisiis et prope Fontaineblean teste D. Gravenhorstio occurentem non vidi, forte species diversa.

B. Melanopteri.

Elytris nigris vel nigro-aeneis.

a Species europeae.

26. *Ph. aeneus* Rossi Gyll. II. p. 314.

var. b. Dimidio minor Gyll. l. cit.

var. c. Thorace lateribus utrinque non impressis.

Habitat in Suecia, Germania, Gallia, Russia etc. *var. c.* rarissime circa Berolinum observata. Individuum unum in collect. D. Ruthe. Vix species diversa.

27. *Ph. politus* L. Gyll. II. p. 317. Alis fuscis.

Habitat fere ubique in Europa. Variat serie dorsali 3-punctata. (Collect. D. Erichsonii Berolini).

28. *Ph. lucens* Mannerh. l. cit. p. 28.

Niger, nitidus, antennis totis nigro-fuscis, elytris crebre ruguloso-punctatis, alis hyalino-albis.

Ph. affinis Nordm. in collectionibus Berolinensibus.

Habitat in Scania et Borussia.

29. *Ph. fuscipennis* Mannerh. l. cit.

Elytris fusco-castaneis, pedibus piceis, antennarum articulo primo ut in polito.

Habitat in Scania.

30. *Ph. atratus* Grav. Gyll. p. 319.

Habitat in Europa boreali.

31. *Ph. decorus* Knoch. Gyll. p. 316.

Habitat in Suecia, Germania etc.

32. *Ph. carbonarius* Grav. Gyll. p. 319.

Habitat cum praecedente.

33. *Ph. rigidicornis* Grav. Microp. p. 23.

Habitat in Borussia etiam in Lapponia.

34. *Ph. parvicornis* Grav. Micropt. p. 23.

Habitat in Germania.

35. *Ph. cephalotes* Grav. Gyll. l. c. p. 320.

var. b. Elytris piceis.

var. b. Antennarum articulis quinque pedibusque pallide testaceis.

Habitat in Suecia, Russia, Germania etc.

var. b. et *c.* media aestate in cadaveribus cum Byrrho cadaverino frequenter a me Berol. lectus.

Observ. E *Ph. cephalote* D. Leach proprium genus constituit, cui nomen *Bisnius* dedit.

36. *Ph. pachycephalus* Nordm.

Viridi-aeneus, nitidissimus; elytris profunde sed non crebre punctatis; antennis pedibusque fusco-piceis; ano segmentorumque ventralium marginibus ferrugineis; capite magno orbiculato.

Descr. Statura Ph. sordidi cui affinis, sed paulo major et sat diversus. Long. $2\frac{5}{8}'''$.

Caput maris magnum, thorace latius, sed paulo brevius, subtransversum, orbiculatum vel sub-quadratum, nigrum, nitidissimum, laeve, sub-depressum, punctis paucis in angulis verticis sincipiteque punctis quatuor majoribus quatrum irregulare formantibus impressis. In antico frontis inter oculos etiam puncta 4 majora transversim posita, in medio quorum foveola rotundata conspicua.

Oculi parvi, convexi, oblique positi, fusco-picei; lamina inter antennas transversa, albida. *Palpi* elongati et mandibulae longae arcuatae, acutissimae, fusco-ferrugineae.

Antennae thorace vix longiores, articulo primo elongato, extrorsum crassiores, fusco-ferrugineae, pubescentes.

Thorax capite vix major, subquadratus, antice truncatus, angulis paulo compressis rotundatis, lateribus sub-obliquis; postice obtuse rotundatus, supra convexus, niger nitidissimus; in angulo utrinque puncta 3, quorum duo majora, tum iterum 3 et deinde in disco 4 seriatim collocata, omnia majora et praesertim haec profundiora; in margine antico thoracis puncta 3 — 4 minora impressa.

Scutellum nigro-aeneum, sub-nitidum, crebre punctulatum.

Elytra thorace paulo latiora et longiora supra depressa, viridi-aenea, nitidissima, punctis majoribus, profundis remotisque impressis, pube breve fulvescente obtecta.

Abdomen reliquo corpore brevius, nigro-piceum, sub-nitidum, tenue punctulatum, pubescens et setiferum.

Corpus subtus piceum, nitidum, punctulatum, pubescens, ano segmentorumque ventralium marginibus obscure ferrugineis.

Pedes fusco-ferruginei, tarsis dilutioribus.

Mas segmento ultimo abdominis profunde emarginato, tarsis anticis paulo dilatatis.

Habitat in Borussia. (In collectione D. Ruthe Berolini).

Nota. Numerus punctorum in disco variat, apud unum individuum nempe serius dorsalis unius lateris tripunctata.

37. *Ph. varius* Gyll. II. p. 321.

Variat capite plus minusve angusto tarsis in utrinque sexu non dilatatis, *Ph. aeratus* Knoch.

Habitat ubique in Europa.

38. *Ph. marginatus* Fabr. Gyll. l. c. 322.

Habitat in Suecia, Germania, Gallia etc.

39. *Ph. fimetarius* Grav. Gyll. l. c. 324.

Var. b. et *c.* Gyll.

Habitat cum priore.

40. *Ph. sordidus* Grav. Gyll.

Habitat in Suecia, Germania etc.

Var. b. abdomine et corpore toto subtus pallido segmentorumque marginibus anoque dilute testaceis circa Berol. a me observata.

41. *Ph. subfuscus* Gyll. p. 326.

Habitat in Germania, Suecia, Gallia etc.

42. *Ph. fucicola* Leach.

Fuscus sub-nitidus, elytris creberrime punctulatis, opacis, capite subtus, palpis pedibus, segmentorumque marginibus rufo-ferrugineis.

Descr. Long. 5‴. *Caput* magnum, quadrangulum, nigro-fuscum, nitidum, angulis verticis profunde punctatis, disco laevi, sincipite punctis majusculis tribus valde profundis et transversim positis, setigeris notato; subtus rufescens, subtilius vage punctatum. *Palpi* rufo-picei. *Antennae* capite longiores, articulis tribus basalibus rufo-piceis, nitidis, apice nigricantibus, reliquis opacis, fuscis, pubescentibus, ultimo rufescente.

Thorax capite minor, angustior, ad basin versus attenuatus, antice truncatus, angulis rectis sed parum acutis, lateribus sinuatus, postice rotundatus fere paulo truncatus, evidentius marginatus, supra parum fornicatus, laevis, nitidus, piceus, utrinque seriebus punctorum tribus notatus, quorum dorsalis punctis tribus posticis majusculis atque uno antico minora constructa est, intermedia puncto uno, tertia lateralis punctis tribus, omnibus setigeris.

Scutellum oblongo-triangulare, planum, punctatum, opacum, pubescens.

Elytra thorace paulo latiora et longiora, humeris rotundatis, subprominulis, apice, ut semper solent, oblique truncata, supra plana, confertissime punctata, pilosula unde opaca, pilis brevissimis flavescentibus induta.

Pectus et abdomen nigro-fusca, segmentis rufo-marginatis, praesertim subtus, ceterum punctata, pubescentia.

Pedes toti rufo-ferruginei, tarsis anticis modice dilatatis in feminis quidem, quarum nonnullas vidi.

Habitat in Anglia D. Leach. (Mus. Berol.).

43. *Ph. nitidulus* Grav. Gyll. p. 330.

Habitat in Germania et Suecia.

44. *Ph. denigrator* Knoch. Grav. Monogr. p. 92.

Habitat in Germania.

Obs. Species a me minus exacta examinata et forsan ad genus Gyrohypnum referenda.

b) Species exoticae.

45. *Ph. piceatus* Nordm.

Piceus, sub-nitidus, pedibus segmentorumque ventralium marginibus piceo-ferrugineis, femoribus dilutioribus; elytris crebre et subtiliter punctulatis; capite suborbiculato. Long. $3\frac{1}{3}'''$.

Descr. Ph. subfusco similis et proximus a quo tamen differt statura majore, antennis totis nigris, elytris aliter punctulatis etc.

Caput thorace antico haud angustius, nigrum, nitidum, laeve, punctis nonnullis minutis in angulis verticis et quatuor inter oculos impressis.

Clypeus albidus. *Labrum* nigro-piceum, margine exteriore testaceo. *Mandibulae* acutissimae et palpi sub-elongati, tenues, nigro-picei stipitibus piceo-ferrugineis. *Antennae* nigro-pubescentes.

Collum capite paulo angustius, nigrum, nitidum, laeve.

Thorax antice truncatus, angulis modice inflexis et compressis, rotundatis, lateribus fere rectis, tenuissime marginatis, postice latior et obtuse rotundatus; supra niger, nitidus, convexus; intra angulum anticum puncta 3 triangulum formantia, tum puncta 2 oblique posita et deinde series dorsalis 4-punctata, puncta reliquis paulo profundiora et aequali spatio inter se remota.

Scutellum depressum, nigro-piceum paulo aeneo-micans, subtile punctulatum, pubescens.

Elytra thorace postico paulo latiora et longiora, nigro-picea aenescentia, sub-nitida, crebre et subtile punctulata, griseo-pubescentia.

Abdomen elytris fere duplo longius, supra totum nigrum, nitidum obsolete punctulatum; infra piceum, nitidissimum, sub-aeneo-micans, vage punctatum, griseo-pubescens, segmentorum marginibus late piceo-ferrugineis.

Pectus nigro-piceum tenue et subtile punctulatum, pubescens.

Pedes piceo-ferruginei, coxis femoribusque paulo dilutioribus, tibiis longo-spinosis.

Mas segmento ultimo profunde emarginato tarsis anticis valde dilatatis.

Habitat in Mexico. D. Deppe. (Mus. Reg. Berol.)

46. *Ph. albilabris* Nordm.

Nigro-piceus, nitidus; thorace breviore lateribus parallelis; elytris viridi-aeneis, subtile punctulatis; pedibus testaceis segmentorum marginibus antennisque ferrugineis; capite rotundato. Long. 3‴.

Descr. Ph. sub-fusco affinis ab illo ceterisque forma thoracis diversus.

Caput magnum, subtransversum, orbiculatum, thorace latius et vix brevius; supra modice convexum, nigrum, nitidum, laeve, angulis verticis et in antico frontis punctis majusculis et profunde impressis, quo ad situm et numerum ut in ceteris confinibus.

Clypeus albidus, labro nigro-piceo, margine producto sub-foliaceo, late testaceo vel albicante.

Mandibulae sub-elongatae, acutissimae, piceo-ferrugineae. *Oculi* majusculi, ovati, sub-convexiusculae. *Palpi* elongati, tenues, piceo-ferruginei, articulo ultimo reliquis longiore, apice paulo dilutiore. *Stipites* pallide ferruginei.

Antennae capite et thorace longiores, extrorsum paulo crassiores, fusco-pubescentes, apice subtestaceae, articulo basali magis quam in speciebus confinibus elongato.

Thorax paulo minor quam in reliquis hujus sectionis, a tergo visus fere quadrangulus; antice truncatus, angulis deflexis et compressis, antrorsum paulo productis, sub-rotundatis, lateribus obliquis; basi nullo modo latior sed postice nonnihil angustatus; postice obtuse rotundatus; supra modice convexus, immarginatus, niger aenescens, nitidissimus, laevis, 2-3-4 punctatus, punctis dorsalibus praesertim majusculis et profundis.

Scutellum depressum, nigro-piceum, sub-opacum, subtilissime punctulatum.

Elytra thorace latiora et paulo longiora, sub-depressa, viridi-aenea, nitida, crebre et subtiliter punctulata, tenue pubescentia.

Alae longae, fuscescentes.

Pedes nigro-piceum, sub-nitidum, subtilissime et obsolete punctulatum, tenue griseo-pubescens.

Abdomen elytris duplo longius, supra nigrum, nitidum, obsolete punctulatum, tenue pubescens; infra nigro-piceum, nitidum, aequali modo punctulatum, griseo pubescens, segmentorum marginibus praesertim 3 ultimis obscure ferrugineis.

Pedes pallide testacei, coxis anticis, tibiis et tarsis paulo obscurioribus. *Tarsi* antici apud marem sat dilatati, supra piceo-ferruginei infra testacei.

Segmentum ultimum maris profunde emarginatum.

Habitat in Japonia. D. Langsdorff. Individuum, quod vidi in Mus. Reg. Berol. asservatur.

47. *Ph. umbratilis* Grav. Micropt. p. 170.

Niger, nitidus, palpis pedibusque fusco-testaceis, elytris aeneis crebre punctatis, capite orbiculato. Long. 3'''.

Habitat in America septentrionali. (Mus. Berol.).

48. *Ph. cyanicornis* Harris, Mannerh. l. cit. p. 27.

Habitat in America septentrionali.

Nota. Denominatio „cyanicornis“ aegre tribuenda.

49. *Ph. rotundicollis* Ménétries Catalogue raisonné. p. 145.

Niger, nitidus; capite thoraceque rotundatis; elytris nigro-virescentibus, griseo-pubescentibus. Long. 4'''. Latit. $\frac{1}{4}$'''.

Statura Ph. politi.

Habitat in regionibus desertis Caucasi. (Collect. D. Ménétries Petropoli).

50. *Ph. furvus* Nordm.

Nigerrimus, nitidus, elytrorum lateribus rufo-ferrugineis, capite orbiculato.

Descr. Long. 4$\frac{3}{4}$'''. *S*tatura Ph. aenei, sed paulo minor, thorace postice haud latiore. *Caput* magnum; sub-orbiculatum, thorace paulo latius; supra convexum, nigerrimum, nitidissimum, laeve, punctis quatuor inter oculos et aliis haud numerosis in angulis verticis profunde impressis, quorum quatuor, versus medium occipitis, arcuatim collocata sunt; infra parce punctatum.

Clypeus albicans. *Labrum*, *Mandibulae* et *palpi* nigra. *Oculi* oblongi.

Antennae capite et thorace longiores, extrorsum paululum crassiores, nigro-pubescentes, articulis basalibus glabris, tenue pilosellis.

Collum nigrum, nitidum, laeve.

Thorax minor quam apud socios, antice truncatus, angulis deflexis, subcompressis, basin versus sat sinuatis; postice obtuse-rotundatus; supra praesertim antice valde transversim fornicatus. Series dorsales punctis aequali spatio remotis compositae, series laterales tripunctatae et praeterea intra angulum anticum utrinque puncta duo cernuntur. Omnia puncta parva, sed distincta.

Scutellum colore et punctura elytrorum.

Elytra thorace multo latiora, supra depressa, nigerrima, nitida, creberrime punctata, pilis brevissimis undique tecta, marginibus lateralibus ferrugineis.

Abdomen elytris dimidio longius, nigrum, dense pubescens, infra paulo aeneo-micans, crebre et evidenter rude punctatum.

Pedes toti nigerrimi, tarsis anticis apud marem dilatatis.

Habitat in Mexico. D. Deppe. (Mus. Berol.).

C. Erythropteri.

Elytris rufis vel nigro-aeneis rufo-signatis.

51. *Ph. flavopterus* Fourcr.

Niger, nitidus; antennarum basi, elytris pedibusque flavescentibus; capite ovato. Long. $2\frac{2}{3}'''$.

Fourcr. Entom. Paris. St. 10. Grav. Monogr. p. 74.

Grav. Micropt. p. 74.

Descr. Ph. flavipedi simillimus sed minor, elytris multo brevioribus, thorace in disco semper 4-punctato.

Caput parvum, ovatum, thorace multo minus et brevius, supra nigerrimum, nitidissimum, laeve, punctis perpaucis minutis in angulis verticis et 4 inter oculos; infra praesertim versus basin vage et profundius punctulatum.

Occiput labrum et palpi nigro-picea. *Oculi* mediocres, ovati, paulo convexi, nigri.

Antennae capite et thorace paulo breviores, crassiusculae, fusco-pubescentes, articulo primo pallide flavescente.

Thorax antice truncatus angulis sat inflexis et compressis, lateribus subrectis; ad basin latior, postice sub-truncatus; supra convexus nigerrimus, nitidissimus, laevissimus, 2, 3, 4 punctulatus, punctis omnibus parvis et leviter impressis.

Scutellum fusco-piceum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum, tenue pubescens.

Elytra thorace breviora et vix latiora, supra depressa, rufo-testacea, colore tamen minus laeto quam in Ph. fulvipede, sub-nitida, subtile sed evidenter punctulata, dense pubescentia.

Abdomen elytris fere triplo longius, supra nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum, griseo-pubescens, infra segmentorum marginibus interdum obscure piceo-ferrugineis.

Pectus nigro-piceum, subtilissime punctulatum, tenue pubescens.

Pedes testacei, coxis paulo obscurioribus, tarsis anticis in utroque sexu sat dilatatis.

52. *Ph. nitidus* Payk. Gyll. II. p. 315.

Habitat in Suecia et Germania.

54. *Ph. fuscus* Gyll. l. c. 329.

Habitat in Germania et Suecia.

55. *Ph. dubius* Grav. Monogr. p. 74.

Habitat in Gallia.

56. *Ph. erraticus* Nordm.

Nigro-fuscus, nitidus; antennis elytris segmentorumque abdominalium marginibus rufo-ferrugineis, capite quadrangulare thoraceque nigris. Long. 3½‴.

Descr. Ph. fusco affinis sed diversus.

Caput magnum, sub-quadrangulare, latitudine thoracis, nigrum, nitidissimum, laeve punctura ut in Ph. fusco.

Oculi parvi, nigri. *Antennae* capite fere dimidio longiores, totae rufo-ferrugineae, pubescentes.

Thorax capite vix longior, antice truncatus, angulis compressis, lateribus fere parallelis, postice rotundatus; supra convexus, niger, nitidissimus in angulo antico utrinque punctis nonnullis absque ordine impressis et versus medium disci series e punctis 4, quorum 3 dorsalia spatio majore inter se remota, quartum fere in ipso margine antico.

Scutellum nigrum, punctulatum.

Elytra thorace paulo latiora sed vix longiora, rufo-ferruginea, sub-nitida, crebre punctulata, tenue pubescentia.

Abdomen pone elytra reliquo corpore paulo longius et corpus subtus nigro-picea, nitida, punctulata et pubescentia, segmentorum marginibus praesertim ventralium anoque rufo-ferrugineis.

Pedes rufo-ferruginei, anteriores tamen paulo dilutiores, femoribus posterioribus piceo-ferrugineis.

Differt a Ph. fusco scutello nigro et elytris brevioribus.

Habitat in Rossia meridionali. (In collectione D. Stevenii Sympheropoli).

57. *Ph. suturalis* Steven.

Niger, nitidus, antennis et pedibus fusco-piceis, elytris rufis crebre punctatis, sutura nigra.

Descr. Ph. polito paulo brevior, capite et thorace majoribus, antennis multo brevioribus. Long. $4\frac{1}{3}'''$.

Caput magnum, thorace tamen vix latius, sub-quadrangulum angulis rotundatis, nigrum, nitidissimum, laeve; inter oculos puncta quatuor et in angulis verticis puncta plura pilifera, majuscula et profunde impressa. *Oculi* mediocres, oblongi, albicantes. *Palpi* tenues, nigro-picei mandibulisque eodem colore. *Labrum* nigro-piceum. *Antennae* capite et collo paululum longiores, extrorsum nonnihil crassiores-fusco-pubescentes.

Thorax magnus, antice truncatus, angulis compressis, lateribus versus basin sub-obliquis et paululum sinuatis, postice obtuse rotundatus, supra sat convexus, tenuissime marginatus, niger, nitidissimus, in angulis anticis puncta quatuor majora, quorum tria oblique versus latus, quartum ad marginem anticum impressum. Series dorsales profunde punctatae.

Scutellum nigrum, sub-nitidum, creberrime et subtilissime punctatum.

Elytra thorace latiora et longiora, supra depressa, rufo-testacea, creberrime et subtile punctulata, flavescenti-pubescentia, margine suturali laevi, nitido, nigra. *Alae* dilute fuscescentes.

Abdomen elytris fere duplo longius, nigrum, nitidum, crebre et rude punctulatum, pubescens et nigro-pilosum.

Pedes toti nigro-picei, tarsis anticis in mare paulo dilatatis.

Mas segmento ultimo sat profunde emarginato.

Habitat in Sibiria et Rossia orientali. (In Collect. D. Stevenii).

58. *Ph. bimaculatus* Grav. Micropt. p. 38.

Niger, nitidus, elytris aeneis apice utrinque macula rubra; capite ovato; antennis pedibusque fusco nigris. Long. 3‴.

Descr. Caput thorace minus, sub-ovatum, nigrum, nitidum, laeve, angulis verticis et occipite punctis nonnullis majoribus et inter oculos punctis 4 impressis.

Palpi minus elongati, nigri, anteriorum articulo ultimo et secundo longitudine aequalibus. *Antennae* capite duplo longiores extrorsum crassiores, fusco-nigrae, pubescentes. *Thorax* capite multo latior et paulo longior, antice truncatus, angulis paulo compressis et deflexis; postice latior, obtuse rotundatus; supra minus convexus, niger, nitidissimus, laevis, in angulo antico puncta 2, dein 3 et series dorsalis 4-punctatae, punctis sat profundis, aequali spatio fere remotis, quorum tamen primum ceteris plerumque minus.

Scutellum depressum, nigrum, sub-nitidum, punctatum.

Elytra thorace paulo latiora et longiora, supra depressa, viridi-aenea, nitidissima, versus apicem macula magna dilute sanguinea vel testaceo-rubra notata, crebre, sed mediocre profunde punctata, pubescentia.

Alae albo-hyalinae.

Abdomen longitudine reliqui corporis, nigrum sub-nitidum, subtile punctulatum, pubescens.

Pedes fusco-nigri, capitulis tibiarum dilute ferrugineis, tarsis feminae non dilatatis.

Variat macula elytrorum plus minusve diffluente.

Habitat in Germania, circa Berolinum minus frequens.

SUBDIVISIO IV.

THORACIS SERIEBUS DORSALIBUS 5-PUNCTATIS.

A. Melanopteri elytris nigris vel nigro-aeneis immaculatis.

a) Species europaeae:

59. ***Ph.*** *vernalis* Grav. Gyll. II. p. 332.
var. b. Gyll.
Habitat fere ubique in Europa.

60. ***Ph.*** *ventralis* Grav. Gyll. l. c. p. 334.
Habitat in Suecia, Germania, Russia etc.

61. ***Ph.*** *quisquiliarius* Gyll. l. c. p. 335.
Habitat cum praecedente.

62. ***Ph.*** *ochropus* Grav. Gyll. l. c. p. 336.
Habitat in Suecia, Borussia etc.

63. ***Ph.*** *ebeninus* Grav. l. c. p. 336.
Habitat in Suecia, Germania, Gallia etc.

64. ***Ph.*** *immundus* Gyll. l. c. 337.
Habitat in Suecia, Russia etc.

65. ***Ph.*** *varians* Gyll. l. c. p. 342.
Habitat fere ubique in Europa,

66. ***Ph.*** *irregularis* Mannerheim Brachel. p. 30.
Habitat Petropoli.

67. ***Ph.*** *testaceus* Grav. Monogr. p. 60.

Fusco-niger, nitidus; antennis segmentorum ventralium marginibus pedibusque rufo-ferrugineis; elytris fusco-piceis; capite orbiculato. Long. $2\frac{1}{3}'''$.

Habitat in Germania. (Mus. Reg. Berol.).

68. *Ph. celer* Grav. Monogr. p. 66.

Habitat in Gallia et Germania.

69. *Ph. brevicornis* Grav. Micropt. p. 22.

Habitat in Germania, circa Berolinum passim.

70. *Ph. scybalarius* Nordm.

Elytris nigris, crebre punctatis, antennarum articulo primo, coxis anticisque testaceis; segmentorum marginibus ferrugineis, capite ovato.

Variat antennis, palporumque maxillarium articulis ultimis fusco-rufescentibus.

Descr. Long. 3‴. Latitud. $\frac{5}{6}$‴. Statura et summa similitudo Ph. opaci sed paulo major, thorace postico latiore, antennis nonnihil tenuioribus abdomine nigro-aenescente etc.

Caput ovatum thorace multo angustius, nigrum, nitidum, in antico frontis et in angulis verticis punctis perpaucis ut in confinibus impressum, infra nigrum, nitidum, laeve, impunctatum.

Clypeus distincte albidus, in Ph. opaco piceus. *Labrum* nigro-piceum. *Palpi* tenues, articulo ultimo maxillarium plerumque dilutiore.

Antennae capite et thorace longiores, nigro-pubescentes, articulo primo praesertim subtus testaceo, duobus sequentibus, nigris, nitidis.

Oculi oblongi, parum convexi, nigri. *Thorax* suborbiculatus, antice truncatus, angulis deflexis, compressis, rotundatis, lateribus sub-rotundatis, fere rectis; postice obtuse rotundatus, supra convexus, niger, nitidissimus, postice tenuissime marginatus. Intra angulum anticum et ad marginem lateralem puncta perpauca 2 — 3, deinde 3 — 4 arcuatim collocata et series dorsales 5-punctatae, punctis omnibus distinctis et modice profunde impressis. *Scutellum* magnum, triangulare, depressum, crebre punctatum, nigrum, nitidum pubescens. *Elytra* thorace multo latiora, et paulo longiora, supra fere plana, nigerrima, nitida, crebre sub-ruguloso-punctata, dense pubescentia. *Alae* hyalinae. *Abdomen* longitudine reliqui corporis, elytris haud angustius, supra nigrum, paululum coeruleo-micans, nitidum, crebre et subtilius quam in Ph. opaco punctulatum, pubescens; infra nigro-piceum, aenescens, coeruleo-micans, nitidum, densius griseo pubescens, segmentorum marginibus obscure ferrugineis. *Pectus* concolor, subtiliter punctulatum, pubescens. *Pedes* fusco-picei, coxis anticis, praesertim intus semper femoribusque anticis interdum testaceis. *Tarsi* antici fusco-testacei in mare magis et distincte dilatati. *Mas* segmento ultimo leviter emarginato.

Habitat in fimo putrescente circa Berolinum, ubi tempore vernali 1831 individua octo legi. Differt ab immundo, cui similis et affinis, coxis testaceis.

b) Species exoticae.

71. *Ph. aeruginosus* N.

Nigro-piceus, nitidus; elytris subtile et crebre punctulatis; segmentorum marginibus ferrugineis, abdomine aeneo-aeruginoso-micante, alis nigricantibus, capite ovato.

Var. b. pedibus fusco-testaceis.

Descr. Ph. opaco et scybalario similis et affinis, alis nigricantibus tamen facile distinguendus. Long. 4‴.

Caput rotundato-ovatum, thorace multo minus ejusque medio angustius, nigrum, nitidum, inter oculos punctis 4 et in angulis verticis punctis haud numerosis et modice profundis impressis; infra nigrum, nitidum, laevissimum et politum. *Clypeus* fusco-testaceus, labro, palpis et mandibulis fusco-piceis, stipitibus piceo-ferrugineis. *Oculi* majusculi, ovati, parum convexi. *Antennae* longitudinem capitis et thoracis vix superantes, filiformes, extrorsum paululum crassiusculae, fusco-nigro-pubescentes, articulis tribus basalibus nigris, nitidis. *Thorax* latitudine vix longior, antice angustatus, angulis deflexis compressis rectis et rotundatis; lateribus paululum rotundatis; postice latior, obtuse rotundatus; supra niger, nitidus, tenuissime emarginatus, intra angulum anticum puncta duo, deinde iterum duo seriesque dorsales e punctis 5 compositae, puncta omnia distincta, modice profunda et non semper aequali spatio remota, impressa. *Scutellum* depressum, nigro-piceum, sub-nitidum, creberrime punctatum, pubescens. *Elytra* thorace latiora et paulo longiora, nigro-picea, sub-nitida, creberrime sub-ruguloso-punctata, pubescentia.

Alae longae, pellucidae, fuscescentes. *Abdomen* pone elytra illis duplo et ultra longius, nigro-piceum, certo situ pulcherrime aeneo-purpurascens et aeruginoso-nitens, subtile et obsolete punctulatum, pubescens et pilosum, infra concolor, segmentorum marginibus ferrugineis, ano stylis longis armato.

Pectus piceum, nitidum, subtile punctulatum et pubescens. *Pedes* toti nigro-picei, tarsis anticis maris modice dilatatis.

Habitat in Brasilia meridionali D. Sello. (Mus. Reg. Berol.).

72. *Ph. fuscicornis* Nordm.

Niger, nitidus, alis tenerrimis, hyalinis; coxis anticis, pedibus, segmentorumque ventralium marginibus piceo-ferrugineis; elytris nigro-piceis, creberrime punctulatis; capite orbiculato-ovato.

Descr. Long. $3\frac{1}{2}'''$. Ph. opaco var. *c.* iterum simillimus, capite tamen paulo majore, sub-ovato, colore antennarum, thoracisque forma diversus.

Caput thorace antico vix angustius, nigrum, nitidissimum, punctis in angulis verticis et inter oculos ut in praecedentibus impressum, subtus laevissimum. *Clypeus* albidus, labrum et palpi piceo-ferruginea. *Antennae* capite et thorace paulo breviores, extrorsum nonnihil crassiores, fusco-piceae, pubescentes, articulo primo reliquis paulo dilutiore. *Thorax* suborbiculatus, antice vix emarginatus; angulis minus deflexis et compressis, rotundatis; lateribus subrotundatis, angulis basalibus et postice obtuse rotundatus; supra sat convexus niger, nitidissimus, laevis, 3, 4, 5 punctatus, punctis omnibus minutis, sed distincte impressis.

Scutellum nigro-piceum, crebre et subtilissime punctulatum, sub-nitidum, pubescens.

Elytra thorace paulo latiora, sed haud longiora, nigro-picea, sub-nitida, crebre et subtiliter punctulata, nigro-pubescentia. *Alae* longae et amplae, tenerrimae et hyalinae, macula marginali vix colorata. *Abdomen* elytris duplo longius, nigrum, nitidum, crebre et subtiliter punctulatum, pubescens; subtus segmentorum ventralium marginibus obscure ferrugineis, densius pubescens.

Pectus nigro piceum, sub-nitidum, subtile et obsolete punctulatum, tenue griseo-pubescens. Margines thoracis inferioris sub-flavescentes. *Pedes* piceo-ferruginei, tibiis spinulosis, coxis anticis flavescentibus, pilosellis, tarsis obscure ferrugineis, anticis paulo (apud feminam) dilatatis.

Habitat ad Promontorium Bonae Spei D. Bergius. (Mus. Reg. Berol.)

73. *Ph. moestus* Knoch Grav. Monogr. p. 47.

Habitat in America boreali. (Mus. Berol.)

74. *Ph. anthrax* Grav. Micropt. p. 176.

Habitat in America septentrionali. (Mus. Berol.)

B. *Melanopteri elytris nigris vel nigro-aeneis rubro-maculatis.*

75. *Ph. discoideus* Grav. Gyll. II. p. 331.

Var. b. taurica, capite angustiore, antennis basi pallidis.

Var. c. dimidio minor.

Habitat in Suecia, Germania, Anglia etc.

Var. b et *c.* in Tauria et circa Odessam.

76. *Ph. sanguinolentus* Grav. Gyll. l. c. p. 338.

Var. a et *b.* Gyll.

Var. c. Sahlberg Insecta fennica p. 326.

Habitat ubique fere in Europa.

77. *Ph. dimidiatus* Sahlberg l. c.

Niger, nitidus; elytris postice rufo-testaceis, pedibus totis nigro-piceis, capite thorace paulo angustiore, orbiculato, antennis thorace brevioribus. Long. $2\frac{3}{4}'''$.

Habitat in Fennia.

Obs. Speciem hanc non vidi.

78. *Ph. bipustulatus* Fabr. Gyll. l. c. p. 339.

Var. b. Gyll. l. c.

Habitat cum Ph. sanguinolente fere ubique in Europa.

79. *Ph. opacus* Gyll. l. c. p. 340 cum varietatibus.

Habitat in Suecia, Germania, Anglia etc.

80. *Ph. agilis* Grav. Gyll. l. c. p. 341.

Habitat fere ubique in Europa.

C. *Erythropteri.*

81. *Phil. corrusus* Grav.

Niger, nitidus, antennarum basi nigro-piceis, elytris tibiisque rufis, capite orbiculato.

Grav. Micropt. p. 33. n. 47.

Descr. Long. $3\frac{1}{2}$ — 4‴. *Caput* orbiculatum, thorace minus, nigrum, nitidissimum, laeve, punctis in angulis verticis nonnullis et quatuor in antico frontis inter oculos, transversim positis. *Os* testaceum; palpi rufo-picei; oculi parvi brunnei.

Antennae longitudine thoracis, extrorsum paulo crassiores, articulis tribus primis glabris, nigro-ferrugineis vel piceis, sequentibus fusco-ferrugineis, pubescentibus.

Thorax antice truncatus, angulis deflexis, postice latior, obtuse rotundatus, supra convexus, niger, nitidissimus, punctis sat magnis et profunde impressis. *Scutellum* nigrum, punctatum.

Elytra thorace paulo latiora, sed vix longiora, supra depressa, sub-quadrata, rufo-testacea, nitida, sat crebre sed parum profunde punctata, pubescentia.

Abdomen reliquo corpore paulo longius, nigrum, nitidum, punctatum, pubescens, segmentis antepenultimis paululum longioribus.

Pedes nigro-picei, tibiis et tarsis fusco-ferrugineis vel obscure rufis. *Tarsi* antici in utroque sexu dilatati.

Habitat in Germania, Gallia, Tauria etc.

82. *Ph. caucasicus* Steven.

Niger, nitidus, elytris rufis macula scutellari fusca; pedibus antennisque fusco-piceis. Long. $3\frac{1}{3}'''$.

Descr. Ph. ephippio similis, punctura thoracis et colore pedum diversus.

Caput rotundato-ovatum thorace postico paulo angustius, nigrum nitidissimum, laeve, punctis paucis in angulis verticis et quatuor in antico frontis inter oculos. *Os* et *palpi* fusco-picei. *Oculi* in mortuo fusco-albidi.

Antennae thorace paulo longiores, fusco-pubescentes.

Thorax antice truncatus, lateribus vix dilatetus, postice obtuse rotundatus, supra convexus, niger nitidissimus; intra angulum anticum puncta 5, quorum unum in angulo ipso, et series dorsales 5-punctatae, punctis sat profundis, aequali spatio impressis

Scutellum nigrum, punctulatum.

Elytra thorace paulo latiora et longiora, supra depressa, rufo-ferruginea, macula magna humerali nigro-fusca, crebre punctata et tenue pubescentia.

Alae albo-hyalinae contra marginem macula fusca notatae.

Abdomen longitudine reliqui corporis et corpus subtus nigro-picea, subnitida, subtile punctulata et pubescentia.

Pedes fusco-picei, tibiis et tarsis dilutioribus.

Habitat in provinciis Caucasicis. (in collectione D. Stevenii, Sympheropoli.)

83. *Ph. xanthopterus* Nordm.

Latiusculus, obtusus, niger, nitidus, antennarum basi, palpis, elytris, pedibus anoque rufo-ferrugineis.

Descr. Long. $4\frac{1}{2}''$. Ph. corrusco similis sed major et latior. *Caput* thorace paululum latius subquadratum, laevissimum, nigrum, nitidum, medio subcanaliculatum, utrinque punctis majusculis tribus arcuatim positis notatum, pone oculos distinctis punctis impressum. Antennarum articuli tres primi rufi, reliqui nigri, opaci, ultimis ferrugineis. *Labrum* et *palpi* rufo-ferruginea. *Mandibulae* piceae. *Collum* angustum, laeve, impunctatum.

Thorax capite paulo angustior, sub-quadratus, leviter transversim fornicatus, antice truncatus, angulis anticis rectis, sed parum acutis, lateribus sinuatus, postice modice rotundatus, supra laevis, niger, nitidus, tribus punctorum seriebus longitudinaliter utrinque notatus: quorum series dorsalis punctis quinque constituta; series intermedia punctis duobus; series externa punctis quatuor, quorum nonnulla interdum duplicia. Ceterum observatur intra margines omnes punctulorum subtiliorum series.

Scutellum nigro-picescens, crebre punctatum, pubescens, marginibus laevibus.

Elytra thorace longiora et latiora, crebre punctata, laete rufo-ferruginea, pubescentia.

Pectus subtiliter punctatum, pubescens.

Abdomen distincte punctatum, pubescens, segmento sexto cum ano dimidiato postice testaceo.

Pedes toti dilute rufi, exceptis condylis anticorum nigro-fuscis.

Tarsi haud dilatati.

Habitat Parae in America meridionali. (Mus. Reg. Berol.)

SUBDIVISIO V.

THORACIS SERIEBUS DORSALIBUS 6-PUNCTATIS.

84. *Ph. fumarius* Grav.

Niger, nitidus; ore antennisque fusco-piceis; pedibus rufo-testaceis; elytris nigro-virescentibus subtiliter punctulatis; capite ovato. Long. $3\frac{2}{3}'''$.

Grav. Monogr. 67. 43.

Descr. *Ph. virgini* affinis, major, colore pedum et punctura elytrorum praesertim distinctus. *Caput* thorace minus, sub-ovatum, nigrum, nitidum, laeve, punctis nonnullis in vertice et quatuor in antico frontis, transversim positis, quorum unum utrinque fere in margine oculi. *Os* et *palpi* elongati fusco-picei; oculi mediocres, brunnei. *Antennae* thorace longiores, extrorsum crassiores fusco-nigrae, pubescentes, articulis 3 primis glabris. *Thorax* elytris brevior, antice truncatus, angulis paulo deflexis compressis, lateribus et postice obtuse rotundatus, supra sub-convexus, niger, nitidissimus, laevis, certo situ et praecipue luce candellaria pulcherrime sericeo micans, intra angulum anticum puncta duo oblique collocata; dein tria et series dorsales punctis sat magnis et profundis, non semper aequali spatio remotis. *Scutellum* magnum, triangulare, depressum, fusco-virescens, crebre punctulatum.

Elytra thorace latiora et paulo longiora, apice minus oblique truncata, supra sub-depressa, fusco-virescentia, nitida, crebre et subtile, fortius tamen quam in sequente punctulata, fusco-pubescentia. *Abdomen* longitudine reliqui corporis, nigrum, paulo coeruleo micans, nitidum, punctulatum, pubescens. *Corpus* subtus nigrum nitidum densius pubescens, ano et marginibus segmentorum ultimorum ferrugineis. *Pedes* rufo-testacei, coxis nigro-piceis, tibiis paulo obscurioribus, tarsis anticis dilatatis. Differentia sexus ut in ceteris congeneribus.

Habitat cum sequentibus circa Beralinum sat frequens.

85. *Ph. virgo* Grav. Monogr. 69. 45. Microp. 169. 19.
Gyll. II. p. 345. 61.
Habitat in Germania, Suecia, Rossia etc.

86. *Ph. nigrita* Grav. Monogr. 68. 44.
Habitat in Germania. (Coll. D. Schüppelii Berol.)

87. *Ph. puella* Nordm.

Niger, sub-nitidus; ore tarsisque fusco-ferrugineis; elytris nigris sub-opacis, subtiliter punctulatis; capite sub-ovato, thoracis lateribus multipunctatis.

Ph. virgini simillima et valde affinis. *Caput, palpi, oculi, antennae* et *elytra* ut in *Ph. virgine* omnino. *Thorax* nonnihil brevior et latior, supra paulo minus convexus, angulis anticis minus quam in priore deflexis, sericeo-micans, lateribus sub-obliquis; postice obtuse rotundatus, intra angulum anticum et versus medium laterum puncta 12 — 14 sine ordine sparsa et series dorsales punctis 6 — 7 impressis, omnibus sat conspicuis et profundis. *Pedes* nigro-picei, tarsis dilutioribus, ceterum ut in *Ph. virgine*. Species haec nisi quod ad puncturam thoracis attinet vix a Ph. virgine differt. Individuum unicum, feminam, tempore vernali, anno 1830 in quisquiliis prope Berolinum a me lectum.

88. *Ph. micans* Grav.

Gyll. l. cit. II. p. 344. n. 60.

Habitat fere ubique in Europa.

89. *Ph. fulvipes* Gr. micr. 24, 33. Monogr. 75, 66.

Gyll. l. cit. II. p. 343. n. 59. Staph. creuntus. Oliv.

Habitat cum praecedente.

90. *Ph. Trossulus* Nordm.

Niger, nitidus; antennis brevioribus, pedibus et ano rufo-testaceis; elytris brevioribus fusco-virescentibus, ruguloso-punctatis, capite ovato.

Descr. Primo intuitu *Ph. vernali* similis, sed minor, elytris et antennis brevioribus, seriebus thoracis 6 — 7 punctatis. Long. 2‴.

Caput ovatum, thorace antice paulo angustius, nigrum, nitidissimum laeve, juxta oculos utrinque puncta duo, quorum majus in margine oculi et supra hoc ad latera capitis punctum minimum, etiam in margine oculi situm. In angulis verticis puncta 4 — 5 minora pubifera. *Os* piceum, palpi fusco-picei, articulo secundo ceteris breviore. *Oculi* mediocres, nigro-picei. *Antennae* breviores, capite vix duplo longiores, nigro-fuscae, extrorsum paulo crassiores, pubescentes, articulis tribus primis rufo-piceis, glabris. *Thorax* sub-oblongus, capite paulo latior, latitudine multo longior, antice truncatus, angulis deflexis, compressis, unde ubi angustior videtur esse, lateribus fere obtusus; postice valde obtuse rotundatus; supra convexus, niger, nitidissimus, laevis, intra angulum anticum puncta 2 vel 3 oblique collocata, tunc series regularis e punctis 4 — 5 constans et deinde versus medium disci puncta 6 vel 7 seriatim etiam disposita, omnia parum parva et sat profunda. *Scutellum* triangulare, acuminatum, depressum, fusco-aeneum, punctulatum.

Elytra breviora, thorace vix latiora et longiora, apice oblique truncata, supra depressa, fusco-virescentia, nitida profunde, sed minus crebre ruguloso-punctata, pubescentia. *Abdomen* longitudine reliqui corporis, vel paulo longius, supra depressum, segmentis late distantibus, fusco-piceum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum pubescens, ano attenuato. *Corpus* subtus piceum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum, pube fulvescente obtectum, segmentorum ventralium marginibus, anoque ultra medium fusco-ferrugineis. *Pedes* pallide rufo-testacei, coxis anticis paulo obscurioribus. *Tarsi* antici feminae minime dilatati.

Habitat rarius circa Berolinum, tempore vernali a. 1830 a D. Webero et a me captus.

91. *Ph. tenuis* Fabr.

Niger, nitidus, antennarum basi, thorace elytrorum dimidia parte posteriore pedibusque rufo-testaceis.

Grav. Microp. 39. 58. Paederus dimidiatus Panz.

Descr. Long. $2\frac{1}{4}'''$. *Caput* sub-elongatum, ovatum, thorace angustius et brevius, nitidissimum, laeve, inter oculos puncta quatuor, in angulis verticis et in occipite punctis numerosis pubiferis impressis; palpis minus elongatis fusco-piceis, articulo ultimo anteriorum breviore, basi incrassato, apice acuminato. *Antennae* longitudine capitis et thoracis, extrorsum crassiores, fuscae, pubescentes, articulo primo baseos ferrugineo.

Thorax elongato-quadratus antice angulis deflexis, rotundatis: postice obtuse rotundatus, supra 2, 3, 6 punctatus, totus dilute rufo-testaceus, nitidissimus, laevis. *Scutellum* magnum triangulare, depressum, nigrum, nitidum crebre, sed subtile punctulatum.

Elytra thorace paulo latiora, vix longiora, supra sub-convexa, basi nigro-picea, apice et versus suturam fere ultra medium laete rufo-testacea, nitida, crebre et subtile punctulata, tenue pubescentia. *Abdomen* reliquo corpore paulo longius, supra et subtus nigrum, sub-nitidum, punctulatum, pubescens. *Corpus* subtus et pedes rufo-testacei, coxis dilutioribus, tibiis rufo-fuscescentibus. *Mas* segmento ultimo abdominali profunde emarginato, tarsis anticis dilatatis.

Habitat circa Berolinum passim.

Nota. Articulus ultimus antennarum nunquam obtuso-rotundatus ut Cl. Gravenhorst micr. p. 39 monet, sed semper perspicue oblique emarginatus.

92. ***Ph. pullus*** Nordm.

Niger, nitidus; palpis, ontennis, pedibus, corporeque toto concoloribus nigro-piceis; elytris sub-brevioribus, nigris, subtilissime punctulatis, capite ovato. Long. $2\frac{1}{4}'''$.

Descr. Magnitudo et statura gracilis Ph. Fennis. *Caput* oblongo-ovatum, thorace angustius, nigrum, nitidissimum, laeve, in angulis verticis puncta nonnulla majora, quibus plura minora, pubifera, associata sunt et quatuor in fronte inter oculos transversim posita. *Os* fusco-piceum, palpi nigro-picei, articulo ultimo anteriorum breviore, apice acuminato. *Antennae* elongatae, thorace longiores, extrorsum crassiores, nigro-piceae, articulo ultimo majore apice ut in ceteris speciebus oblique emarginato.

Thorax paulo elongatus antice parum angustior, truncatus, angulis deflexis, compressis, lateribus nonnihil obliquis, basi obtuse rotundatus, supra modice convexus, niger, nitidissimus, laevis; intra angulum anticum punctum unum aut duo impressa, oblique posita, dein tria et demum series dorsales punctis sex, omnibus minutis parum profundis, sed sat distinctis. *Scutellum* triangulare, nigrum, depressum, sub-nitidum, subtile punctulatum, pubescens.

Elytra thorace sat latiora et paulo longiora, apice oblique truncata, supra sub-depressa, nigra, sub-nitida, creberrime et subtiliter punctulata, certo situ pube griseo dense obducta.

Abdomen reliquo corpore paulò longius, attenuatum, sub-convexum, nigerrimum, nitidum, subtile punctulatum, pubescens, ano spinis duobus setiferis armato. *Corpus* subtus totum atrum, nitidissimum subtile punctulatum, pubescens. *Pedes* piceo-ferruginei, anteriores dilutiores, posteriores paulo elongati. *Mas* segmento abdominali ultimo profunde inciso-emarginato, tarsis anticis valde dilatatis.

Habitat cum praecedentibus, tempore vernali haud raro inventus.

Species pulchra, statura gracili, colore obscure lugubri, sat insignis.

93. *Ph. exiguus* Nordm.

Niger, nitidus, ore et palpis fusco-piceis; pedibus obscure rufo-testaceis; elytris brevioribus fusco-virescentibus, subtile punctulatis, capite ovato. Long. $1\frac{7}{8}'''$.

Descr. Minutus, *Ph. Trossulo* valde affinis et cum eo facile confundendus, differt tamen statura minore, antennis tenuioribus, pedibus obscurioribus punctura thoracis laterali minus regulari.

Caput ovatum, thorace paulo minus, punctis juxta oculos et in angulis verticis ut in priori, nigrum, nitidissimum, laeve, oculi parvi, nigri, os et palpi fusco-picei. *Antennae* nigrae, pubescentes, filiformes, extrorsum vix crassiores, capite duplo longiores.

Thorax paulo elongatus, antice truncatus, angulis deflexis, lateribus rotundatis, postice latior, obtuse rotundatus, supra modice convexus, niger, nitidissimus, laevis, in angulo antico puncta 3 — 4 absque ordine impressa, series dorsales ut in praecedente.

Elytra longitudine thoracis, vix eo latiora, apice oblique truncata, supra sub-convexa, virescenti-aenea, nitida, subtile, sed minus crebre punctata, pube tenui fulvescente adspersa. *Scutellum* magnum triangulare, depressum, obsolete punctulatum. *Abdomen* longitudine reliqui corporis, nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum, pubescens.

Corpus subtus fusco-piceum, sub-nitidum, tenue punctulatum et pubescens, ano et margine segmenti ultimi paulo dilutiore. *Pedes* ruſo-testacei, coxis obscurioribus.

Habitat rarius circa Berolinum. (In collectionibus D. D. Ruthii et Erichsonii.)

SUBDIVISIO VI.

THORACIS SERIEBUS DORSALIBUS LATERIBUSQUE PUNCTATIS.

A. *Melanopteri.*

Nigri, nitidi, elytris nigro-virescentibus vel coeruleis.

94. *Ph. punctus* Gyll.

Capite et thorace parce punctatis, elytris fusco-virescentibus, in antico frontis puncta quatuor. Long. $2\frac{3}{4}'''$.

Gyll. Ins. II. p. 346 n. 62 extus. syn. Grav.

Var. b. Segmentorum marginibus piceo-ferrugineis.

Habitat in Suecia et Finlandia.

95. *Ph. multipunctatus* Mannerh.

Capite et thorace crebre punctatis, alis fuscescentibus, thorace postice haud latiore.

Staph. punctus Grav. Micropt. p. 20 n. 22.

Phil. multipunctatus Mannerh. Precis p. 31.

Descr. Praecedenti similis et affinis, sed diversus, plerumque major, long. c. $4'''$.

Caput orbiculatum, nigrum, nitidum, lateribus fronte et inter oculos punctis modice crebre et profunde impressis. *Antennae* capite et thorace paulo longiores, nigricantes, articulis exterioribus obscure fusco-pubescentibus.

Thorax major quam in P. puncto, angulis anticis minus deflexis unde latera fere parallela apparent; series dorsales irregulares 10 — 13 punctatae in utroque latere puncta numerosa (30 — 50) profunde impressa.

Elytra thorace paulo latiora et longiora, supra fere plana, nigro-vel fusco-virescentia, interdum etiam nigra, sub-nitida, crebre punctulata, pubescentia. *Alae* fuscescentes. *Abdomen* et corpus reliquum ut in praecedente. *Pedes* nigro-picei, tarsis fusco-picescentibus.

Mas segmento ultimo paulo emarginato.

Habitat in Europa: Germania et Suecia; circa Berolinum tempore vernali sat frequens.

96. *Ph. punctifer* Nordm.

Capite et thorace modice crebre punctatis, thorace postice paulo dilatato, elytris et abdomine creberrime et subtilius punctulatis, alis albo-hyalinis.

Descr. Antecedente iterum simillimus, differt praecipue punctura thoracis elytrorumque. Long. 4‴.

Caput magnum, sub-rotundatum thorace paulo angustius, nigrum, nitidum paulo virescens, angulis verticis et fronte profunde punctatis, sincipite tamen laeve. In medio frontis praeterea foveola rotundata, obsolete conspicua. *Labrum*, palpi mandibulaeque nigro-picea. *Antennae* capite et thorace longiores, nigricantes. *Thorax* adhuc major quam in praecedente, antice sub emarginatus, angulis deflexis, compressis, rotundatis, lateribus paululum rotundatis, angulis basalibus distinctis, obtusis; postice obtuse rotundatus latiorque quam antice apparens, niger, nitidus, in medio laevis, seriebus dorsalibus irregulariter 10 — 13 punctatis, lateribus multo-punctatis, punctis absque ordine profunde impressis.

Scutellum nigrum, apice acuminatum, crebre punctulatum.

Elytra thorace nonnihil latiora, quadrangula, nigro-virescentia, subopaca, creberrime et subtile punctulata, nigro-pubescentia.

Alae albo-hyalinae.

Abdomen nigerrimum, sub-nitidum, crebre, subtile, sed rude punctulatum, pubescens, segmentis singulis nigro-ciliatis, ano piloso.

Pedes nigri, tibiis spinulosis, tarsis nigro-piceis, antice in utroque sexu dilatatis.

Mas segmento ultimo valde profunde emarginato, canalicula usque ad segmentum tertium ab apice producta.

Femina segmento ultimo integro.

Habitat in Mexico D. Deppe. (Mus. Berol.).

97. *Ph. cinerascens* Knoch.

Fusco-piceus, elytris opacis.

Gyll. Ins. Suec. II. p. 361.

Habitat in Germania et Suecia.

98. *Ph. chrysurus* Nordm.

Niger, elytris coeruleis, ano ferrugineo.

Descr. Animalculum lepidissimum, long. lin. c. 4. Caput, thorax, pectus, abdominisque segmenta priora quatuor nigra nitida; elytra coerulea, nitida; abdomine segmenta duo posteriora anusque rufo-ferruginea.

Caput thorace vix latius, supra parum, postice praesertim lateribus crebrius punctatum. *Labrum* piceum. *Mandibulae* palpis antennisque nigrae.

Thorax latitudine parum longior, modice convexus, antice truncatus, angulis rectis, lateribus subparallelis, ad basin versus vix angustior, basi rotundatus, supra laevis, utrinque seriebus punctorum quinis notatus: series dorsalis punctis decem aut undecim composita observatur: series secunda arcuata, punctis minoribus composita, series tertia et quarta non nisi anterius visibiles: series marginalis punctis approximatis constructa, fere totum marginem obtinet.

Scutellum triangulare, nigrum, nitidum, distincte punctatum.

Elytra thorace paulo latiora, sed vix longiora, supra plana, nitida, vage punctata, pubescentia.

Pectus et abdomen nigra, confertius punctata, pubescentia.

Pedes nigro-picei.

Habitat in Para Americae meridionalis. (Mus. Reg. Berol.).

B. Erythropteri

Elytris rufis vel testaceis.

99. *Ph. baltimorensis* Knoch, Grav.

Rufo-castaneus, capite et thorace nigris, vage punctatis, elytris crebre et subtiliter punctulatis, antennis basi piceo-ferrugineis extrorsum rufescentibus.

Grav. Col. micropt. p. 163 n. 6.

Descr. Long. $5\frac{1}{2}'''$. *Caput* magnum, orbiculatum, angulis posticis rotundatis, thorace latius sed paulo brevius, supra nigrum, nitidissimum, vage et subtile punctulatum, utrinque pone oculum puncto majusculo impresso, in medio frontis et occipitis laevissimum; subtus nigro-piceum, nudum, nitidissimum, vix hinc illincque puncto conspicuo. *Clypeus* flavescens. *Labrum* rufo-piceum margine sub-flavicante fusco-ciliatum. *Mandibulae* falcatae, acutissimae. *Palpi* elongati, tenues rufo-ferruginei. *Oculi* mediocres, rotundati, haud convexi, nigro-fuscescentes.

Antennae capite dimidio longiores, sub-validae, articulis 5 basalibus piceo-ferrugineis, sequentibus fusco-rufescentibus, pubescentibus.

Collum nigrum, nitidum, laevissimum.

Thorax sub-elongatus, quadrangulus, antice truncatus et paululum latior quam basi, angulis inflexis nonnihil inflatis, rotundatis, lateribus subobliquis, angulis basalibus minus distinctis, obtusis: postice valde obtuse rotundatus supra sat transversim fornicatus, lateribus et postice tenuissime marginatus, niger, nitidissimus, medio laevissimus linea abbreviata sub-carinata, versus discum punctis haud crebris, sed seriatim-versus latera minus regulariter et confertius impressis.

Scutellum nigrum, sub-nitidum, crebre et subtile punctulatum.

Elytra latitudinem thoracis superantia, longitudine ei aequalia, apice oblique truncata, supra quadrata, plana, rufo-castanea, nitidissima, crebre et subtiliter cicatriculoso-punctata, tenue pubescentia.

Abdomen elytris duplo longius, supra convexum, rufo-castaneum, nitidum, crebre et subtiliter punctulatum, tenue fulvescenti-pubescens. *Corpus* reliquum subtus eodem colore et punctura, segmentis abdominalibus paulo violaceo-micantibus. *Pectus* rufo-piceum, punctulatum, pubescens.

Pedes rufo-picei, tarsis anticis apud marem dilatatis.

Habitat in America septentrionali. (Mus. Knoch. Berol.).

100. *Ph. rufipennis* Grav.

Nigro-piceus, antennis fuscis articulo ultimo testaceo, pedibus palpisque fusco-rufescentibus, elytris rufis, capite transverso, quadrangulo.

Grav. Micropt. p. 40 n. 59.

Descr. Long. $4\frac{2}{3}'''$. *Caput* magnum, transversum, quadrangulum, thorace paulo latius, convexum, nigrum, nitidum, profunde sed minus crebre punctatum, in medio frontis laeve. *Clypeus* flavescens. *Labrum* nigro-piceum, fulvo-ciliatum. *Oculi* parvi, haud convexi, rotundati. *Mandibulae* subelongatae, acutissimae, piceae. *Palpi* paulo elongati, ferrugineo-rufescentes.

Antennae capite multo longiores, extrorsum crassiores, fusco-piceae, pubescentes, articulo ultimo flavescente, apice sub-emarginato*).

Collum piceum, nitidissimum, laevissimum.

Thorax latitudine paulo longior, elongato-quadrangulus, antice truncatus perparum latior quam basi, angulis sat deflexis, compressis, sub-rotundatis, lateribus obliquis, versus basin sinuatis, angulis obtusis; postice fere truncatus, supra sat transversim fornicatus, tenuissime marginatus; series dorsales e punctis 10 minus regulariter digestis compositae, latera multo-punctata, punctis minoribus quam in capite et fere absque ordine impressis.

Scutellum depressum, nigrum, subtilissime punctulatum, griseo-pubescens.

Elytra thorace multo latiora et paulo longiora, quadrangula, apice modice oblique truncata, rufo-castanea, nitida, crebre et subtile punctata, fulvescenti-pubescentia.

---

*) Confer Grav. Micropt. p. 40.

Abdomen elytris duplo longius et paulo ultra, versus apicem attenuatum, nigrum, nitidum, aeneo-micans praesertim subtus, crebre et rude punctatum, apice ani paululum ferrugineo.

Corpus reliquum subtus nigro-piceum, nitidum, punctatum pubescens.

Pedes obscure rufescentes, femoribus obscurioribus, tibiis spinulosis, tarsis anticis in femina haud dilatatis.

Habitat in Germania. (Mus. D. Ruthe Berol.).

101. *Ph. ephippium* Hoffmgg.

Niger, aenescens, elytris rufis macula scutellari nigro-aenea, capite ovato, pedibus rufis.

Descr. Ph. caucasico similis punctura thoracis coloreque pedum diversus. Long. $3\frac{1}{2}'''$.

Caput ovatum, thorace postico angustius, supra convexum, nigro-aenescens, nitidum, vix pubescens, ad latera et circa oculos subtiliter et modice crebre punctatum, in medio laevissimum, subtus subtile et vage punctulatum.

Antennarum articuli basales tres nitidi, picei, apice rufi, reliqui nigro-fusci. *Os* piceum.

Oculi majusculi, ovati, in mortuis nigri.

Palpi tenues, nigro-picei, stipitibus labialibus ferrugineis.

Antennae capite duplo longiores.

Collum nigrum, nitidum, laeve.

Thorax structura ordinaria, antice truncatus, angulis deflexis, sub-compressis, niger aeneo-micans utrinque punctis numerosis modice crebre impressus.

Scutellum nigro-aeneum, punctulatum. *Alae* albo-hyalinae.

Elytra thorace latiora et paulo longiora, laete rufa, macula magna quadrangula nigro-aenea, crebre et subtile punctulata, pubescentia.

Abdomen totum subtiliter punctatum, pilis griseis indutum.

Pedes toti rufi. *Tarsi* antici apud marem dilatati.

Habitat in Grusinia. (Mus. Reg. Berol.).

102. *Ph. fasciatus* Nordm.

Testaceus, nitidus; antennis, capite, thorace segmentisque quatuor ultimis basi piceis, capite orbiculato.

Descr. Magnitudo praecedentis, capite et thorace majoribus, colore pallide testaceo.

Caput orbiculatum, thorace haud angustius, piceo-aenescens, nitidum griseopubescens, ad latera, fronte et circa oculos modice crebre punctulatum, medio laeve impunctatum, subtus piceum, nitidum, glabrum. *Clypeus* labrum et palpi elongati picescentes.

Antennae elongatae, capite et thorace longiores, extrorsum perparum incrassatae, piceo-pubescentes.

Collum nigrum, nitidum, laevissimum.

Thorax capite dimidio longior, antice truncatus, angulis minus quam in propinquiis deflexis et compressis, lateribus fere rectis; postice obtuse rotundatus, supra modice transversim fornicatus, piceo-aenescens, nitidus, pube longiore grisea dense vestitus, lateribus usque ad discum dorsalem crebre et subtile punctulatis.

Scutellum depressum, piceo-testaceum, subtilissime et obsolete punctulatum.

Elytra thorace perparum latiora et longiora, apice nonnihil oblique truncata, quadrangula, fere plana, testacea, subnitida, subtile et crebre punctulata, pubescentia.

Abdomen pone elytra illis paulo longius et parum angustius, supra et subtus testaceum, nitidum, subtiliter et obsolete punctulatum, pubescens, segmentis quatuor ultimis ad basin late piceo-aenescentibus, marginibus testaceis.

Corpus subtus pallide testaceum, nitidum, subtilissime punctulatum, pubescens, segmento primo, elytris proximo, utrinque basi macula picea, ano subpiloso.

Pedes pallide testacei, tibiis spinulosis, tarsis anticis dilatatis.

Mas segmento ultimo paulo emarginato.

Habitat in Mexico. D. Deppe. (Mus. Berol.).

---

14. GYROHYPNUS Kirby.

Xantholinus Dahl.

Palpi filiformes ut in Philontho, breviusculi, articulo ultimo ceteris breviore.

Antennae mediocres, fere fractae, articulo primo elongato, clavato; ultimo ovato-acuminato.

Caput magnum, porrectum, saepius valde elongatum, ovatum, supra basin antennarum plerumque sulco instructum. *Oculi* minuti in parte antica laterum capitis siti.

Collum distinctum, angustatum, capite convexum. *Thorax* sat elongatus, postice plerumque angustior. *Corpus* lineari-elongatum, teres. *Tarsi* antici rarius dilatati.

I. Gyrohypni genuini.

a) Species europeae.

1. *G. glabratus* Grav. Micropt. p. 178.

Niger, nitidus; elytris rufo-testaceis; antennis, palpis femoribusque fuscis; tibiis rufescentibus, thorace seriebus 6-punctatis; elytris striato-punctatis. Long. $5\frac{1}{2}'''$.

Habitat in Lusitania. (Mus. Reg. Berol.).

2. *G. ochraceus* Gyll. II. p. 352 Pars IV. p. 480.

Habitat ubique in Europa.

Observ. In collectione D. Weberi Berolini individuum vidi a D. Schüppellio sub nomine X. episcopalis Dahl communicatum, sed vix diversa species.

3. *G. longiceps* Gyll. II. p. 350 Pars IV. p. 480.

Var. a. Capite punctis minus profundis impresso, forte X. puncticollis Ziegler.

Var. b. Punctura elytrorum paulo fortiore.

Var. c. Punctis lateribus thoracis minus numerosis, fere in serie dispositis.

Var. d. Thorace versus basin rufescente.

Habitat cum priore fere ubique in Europa.

4. *G. glaber.* Grav.

Niger nitidus; antennis elytris pedibusque rufo-testaceis; capite vage punctato; elytris fere glabris; thoracis seriebus 6 — 9 punctatis.

Grav. Micropt. p. 46. Monogr. p. 100.

Descr. Statura et magnitudo X. lenti. *Caput* magnum, thorace latius, convexum, nigrum, nitidum, punctis perpaucis parum profundis impressum, in medio laeve; supra antennarum basin sulci duo ut in priore et sub oculis utrinque striga obliqua.

Os et *palpi* rufo testacei. *Oculi* minuti, fusco-brunnei.

Antennae thorace breviores-rufo-ferrugineae, articulo primo paulo obscuriore.

Thorax antice paulo latior, lateribus sub-sinuato-obliquis, postice rotundatus, supra convexus, niger, nitidus. Series dorsalas constant punctis 6 — 9 parvis et series laterales abbreviatae antice semi-circulariter arcuatae e punctis 6 — 8 deficiente uno alterove.

Scutellum depressum, nigro-piceum, sublaeve.

Elytra thorace paulo latiora et longiora, convexa, dilute rufo-testacea, nitida, versus suturam sub-elevata, obsolete et vage punctata, pubescentia, lateribus striato-punctata.

Abdomen pone elytra reliquo corpore brevius, nigro-piceum, nitidum, laeve, segmentorum marginibus anoque supra et subtus ferrugineo-testaceis.

Pedes rufo-ferruginei, coxis femoribusque obscurioribus, tarsis anticis vix dilatatis.

5. G *relucens* Grav.

Niger, nitidissimus; antennis, tibiis et tarsis fusco-piceis; elytris rufo-testaceis; capite vage et profunde punctato; thorace postice angustiore, seriebus dorsalibus 7 — 9 punctatis.

St. relucens Grav. Monogr. Micropt. p. 101 n. 102.

Descr. Long. 5″. *Caput* magnum, thorace paulo latius, angulis posticis fere obtusis, apice attenuatum, supra convexum, nigerrimum, nitidissimum, superficie tota subtilissime et vix conspicue vage punctulatum, et praeterea utrinque in latere punctis haud numerosis, sed magnis et profundis impressum, ad basin antennae singulae linea elevatae; subtus punctis inaequalibus sparsim impressum. *Clypeus* rufescens. *Mandibulae* nigricantes. *Stipites* et *palpi* rufi.

Antennae vix longitudine capitis, piceo-ferrugineae, articulo primo, nigro-piceo, nitido, apice rufo-ferrugineo.

Collum angustum, nigrum, nitidissimum, laevissimum.

Thorax longitudine capitis, ad basin angustatus, postice obtuse rotundatus, supra convexus, niger, nitidissimus, subtilissime et haud crebre punctulatus, seriebus dorsalibus 7 — 9 lateralibus sub-arcuatis 5 — 7 punctatis, punctis praesertim serierum dorsalium magnis et sat profundis. In margine laterali praeterea puncta nonnulla minora cernuntur.

Scutellum depressum, nigrum, nitidissimum, laevissimum.

Elytra thorace antico haud latiora et vix illo longiora, apice oblique truncata, sub-quadrangula, laete rufo-castanea, nitidissima, tenuissime pubescentia, punctis haud profundis, minus regulariter in series collectis.

Abdomen elytris fere duplo longius, nigerrimum, nitidissimum, tenue pubescens et pilosum, subtus subtiliter et evidentius punctatum.

Femora nigro-picea, tibiis et tarsis piceo-ferrugineis.

Habitat in Gallia et Germania. (Mus. Reg. Berol.).

6. *G. merdarius* Dahl.

Niger, nitidissimus; palpis, tarsis, antennisque extrorsum fusco-piceis; capite vage et subtile punctato; thorace posterius angustato; seriebus dorsalibus 6-punctatis; elytris rufis, subtile punctato-striatis. Long. $4\frac{1}{2}'''$.

Var. a. paulo angustior, punctis lateralibus leviter impressis.

Descr. Praecedenti et G. glabrato (Grav.) valde affinis et similis, sed paulo minor, differt elytris rufis, lateribus capitis valde vage et subtilius punctatis etc.

Caput magnum thorace paululum latius et vix brevius, apice attenuatum, supra nigerrimum, nitidissimum, superficie vix conspicue, haud crebre punctulata, pone oculos et in angulis verticis punctis tantum nonnullis, minutis vage impressis, linea utrinque ad basin antennae et altera a medio frontis ad oculum ut in specie precedente; subtus parce et haud profunde punctulatum.

Labrum, *clypeus*, *palpi* et *stipites* rufo-ferruginea.

Thorax antice truncatus, angulis perparum reflexis, lateribus fere rectis, basi angustior, postice obtuse rotundatus, supra sat transversim fornicatus, nigerrimus, nitidissimus, laevissimus. Series dorsales e punctis majoribus et profundis haud aequali spatio remotis constant, tunc observatur punctum unum vel duo longitudinaliter impressa et deinde series lateralis arcuata, puncto primo margini antico proximo, interdum ceteris multo majore. Margines laterales multo-punctati.

Antennae capite paulo longiores fusco-piceo-pubescentes, articulo primo nigro-piceo, nitido, apice nonnihil rufescente.

Scutellum nigrum, nitidum, puncto uno alterove obsoleto, pubifero impressum.

Elytra thorace haud latiora, sed eo paulo longiora, apice minus oblique truncata, laete rufa, nitida, vix conspicue et parce pubescentia, punctato-striata, intermixtis punctis minutiusculis et fere absque ordine degestis.

Alae albo-hyalinae.

Abdomen nigerrimum, nitidissimum, crebre et subtile punctulatum, subtus tenue griseo-pubescens, lateribus et ano pilis nonnullis longiusculis nigris instructis.

Pedes picei, vel nigro-picei, tarsis paulo dilutioribus, fusco-piceis.

Individua 3 in Mus. Berol. fere omnino inter se conveniunt, capite postice tantum, plus minusve latiusculo.

Habitat in Italia prope Pisam. D. Dahl.

7. G. *punctulatus* Payk. Gyll. II. p. 353.

Var. b. Antennis fusco-ferrugineis.

Habitat ubique in Europa.

8. G. *Batychrus* Gyll. IV. p. 480.

Habitat in Suecia, Germania, Gallia etc.

9. G. *parum-punctatus* Gyll. IV. p. 481.

Habitat in Suecia et Rossia septentrionali.

10. G. *lentus* Grav. Gyll. II. p. 354.

Habitat in Europa boreali.

11. G. *tricolor* Payk. Gyll. II. p. 355.

Habitat in Suecia, Germania etc.

12. G. *meridionalis* Dej.

Piceus, nitidus; capite nigro subtile et parce punctato; thorace, elytris, pedibus, abdomineque infra rufo-testaceis; seriebus dorsalibus 8 — 10 punctatis. Long. $3\frac{1}{2}'''$.

Statura G. tricoloris, sed abunde diversus.

Caput elongato-ovatum, apice paulo attenuatum, angulis posticis fere rectis, longitudine thoracis et paulo latius, supra convexum, nigrum, nitidissimum, versus latera punctis perpaucis et minutis inaequalibus impressum, in medio laeve; supra antennarum basin et sub oculis striga ut in praecedente, subtus piceo-rufescens, vage et subtilissime punctulatum, intermixtis punctis nonnullis majusculis. *Os* et *palpi* rufescentia. *Antennae* capite multo longiores, extrorsum incrassatae, fusco-pubescentes, articulis 3 primis rufescentibus. *Mandibulae* validae piceo-rufescentes, basi dentatae. *Labrum* piceum, fulvo-ciliatum. *Collum* valde angustum, rufum, nitidum, glabrum. *Thorax* antice rotundatus et latior, angulis deflexis et obtusis, lateribus subsinuatis, postice angustatus et fere truncatus, supra modice convexus, rufus, nitidus, series dorsales 8 — 10 punctatae, laterales arcuatae, punctis omnibus parvis et leviter impressis. *Scutellum* apice acuminatum, depressum, pallide piceo-rufescens, impunctatum.

Elytra thorace antico haud latiora et perparum longiora, apice sub-oblique truncata, supra modice convexa, versus suturam paululum inflexa, rufa vel rufo-testacea, nitida, modice crebre et subtile punctata, punctis in disco seriatim dispositis, lateribus inflexis, subtilissime punctulatis.

Abdomen pone elytra longitudine reliqui corporis, supra piceum, nitidum, tenue pubescens, obsolete punctulatum, infra piceo-rufescens, segmentorum marginibus et ano late et pallide rufo-testaceis.

Pedes toti pallide rufo-testacei.

Habitat in Andalusia D. Waltl. (Mus. Reg. Berol.).

13. *G. ochropterus* Nordm.

Niger nitidus; palpis, antennis, pedibusque fusco-rufescentibus; elytris ochraceis; thoracis seriebus 6 — 8 punctatis; capite vage punctulato. Long. 4 — 5‴.

G. fulvipennis Dahl in litt.

Descr. G. ochraceo multo major, statura G. merdarii.

Caput magnum, thorace plerumqne latius et haud brevius, supra convexum, nigrum, nitidissimum, vage et subtilissime punctulatum, in angulis verticis praeterea punctis perpaucis et inaequalibus impressum, supra basin antennarum striga ut in ceteris; infra vage punctatum. *Clypeus* flavescens, labrum et palpi rufo-picea.

Antennae capite longiores, articulo primo rufescente, sequentibus fusco-pubescentibus.

Mandibulae nigro-piceae.

Collum angustum, nigrum, nitidissimum, basi plerumque rufescens.

Thorax latitudine dimidio longior, antice paulo latior, subrotundatus, angulis deflexis, obtusis, lateribus sub-obliquis; postice obtuse rotundatus, supra convexus, niger, nitidissimus. Series dorsales constant punctis 6 — 8 majusculis et profundis; series laterales leviter impressae, antice arcuatae; intra angulum anticum puncta plura minuta absque ordine impressa.

Scutellum nigrum, nitidum, fere impunctatum.

Ad familias, quarum non prodiit illustratio nova, ex quo Sprengelius edidit Linnaei *Systema vegetabilium*, pertinet inter alias *Scrofularinearum* familia, temporibus novissimis locupletata generibus speciebusque antea incognitis permultis. Quae familia eo magis eget commentatione nova, quod ejus cives ob florum splendorem et pulchritudinem frequentissime in hortis coluntur. Atque maxime, quae modo protulimus, converti possunt in *Scrofularinearum* genus, quod dicitur *Pentastemon* (*), hodie eximie adauctum speciebus novis, imprimis Anglorum cura in operibus periodicis variis recentissime descriptis, jamque hortorum decus vulgare sistentibus.

Itaque operam haud plane inutilem nos suscepisse putavimus, cum Horti botanici Imperialis Petropolitani *Pentastemones* perlustrantes simul colligeremus, quae in Horti bibliotheca locupletissima nobis obviae fuere dispersae per opera varia observationes de *Pentastemonibus* a Sprengelio nondum enumeratis. Quas schedulas, auctas et emendatas observationibus propriis ad plantas siccas vivasque institutis, atque in ordinem redactas, Virorum Doctissimorum judicio hodie submittimus.

De Pentastemone genere commentatio.

§ 1.

De Pentastemone genere distinguendo historica quaedam afferuntur.

Genus *Chelone* a Tournefortio anno 1706 conditum (Spreng. gen. pl. II. p. 495), et a Linnaeo receptum, inter affines excellit eo, quod numerus staminum in eo auctus stamine quinto sterili. Quem characterem Linnaeus in classis *Didynamiae* suae ordine *Angiospermia* observavit praeterea tantummodo in generibus *Sesamo* L. et *Martynia* L., instructis fructu pluriloculari. Itaque Linnaeus verbis paucis definivit *Chelonen* genus hoc modo (Richt.

(*) Persoonium sequens scribo „*Pentastemon*“, nec „*Pentstemon*“, uti vult Linnaeus, nec „*Penstemon*“, uti Kosteletzkius, nec „*Pentsthemon*“, uti Poiretius. Nomen enim derivandum est a verbis πέντε (i. e. quinque) et στήμων (i. e. stamen), et componitur ut πενταστάδος, πεντάπους et alia.

Cod. bot. Linn. p. 591): „Calyx quinquepartitus. Rudimentum filamenti quinti inter suprema stamina. Capsula bilocularis.“ Sub definitione hac vaga Linnaeus complectitur *Chelonen glabram* L., *Chel. obliquam* L., *Chel. hirsutam* L. et *Chel. Pentstemonem* L., bene tamen monens, *Chelonen Pentstemonem* L. et *Chel. hirsutam* L. a speciebus generis typicis, a *Chelone glabra* L. et *Chel. obliqua* L., differre et antheris glabris, et stamine sterili barbato (Richt. Cod. bot. Linn. p. 591). Quae discrimina ei non valebant ad dividendum genus. Itaque genus *Pentstemon*, quod Jo. Mitchellius, medicus in Virginia degens, e *Chelone Pentstemone* L. construxerat (in Act. Nat. Cur. 8 app. p. 214 — e Schreb. Gen. pl. II. p. 808), non agnovit Linnaeus.

Botanicorum, qui Linnaeum secuti sunt, alii servabant genus *Chelonen*, quale Linnaeus proposuerat, alii minus scrupulosi ab illo separabant genus *Pentstemonem* Mitch., variis innitentes characteribus.

Ant. Laur. de Jussieu (Gen. pl. Edid. Usteri p. 153) in dubiis haerebat, num *Pentstemon* generice esset separandus a *Chelone*, nec ne; attamen monet, *Pentstemonem* esse distinctum a *Chelone* his: filamento sterili caeteris longiore, villoso, dissepimento valvis non septiferis parallelo, floribus paniculatis, pedunculis multifloris, divisuris bracteatis. Tribuit enim *Chelonis* genuinis calycem tribracteatum, filamentum quintum sterile caeteris brevius, capsulam valvis medio septiferis.

J. Chr. Dan. Schreberus (Gen. pl. II. p. 404 et p. 808.) generice separat *Pentstemonem* a *Chelone*, et quidem innititur et corollae, et stamini sterili, et seminibus, uti e collatis descriptionibus, quas exhibet, patet. Ni fallor, secundum Schreberum genera haec distinguenda sunt hoc modo: 1) *Chelone*: corolla ringens: fauce supra convexa, infra plana: limbo clauso: labio superiore inferius subaequante; rudimentum staminis quinti glabrum; semina margine membranaceo cincta. — 2) *Pentstemon*: corolla bilabiata: tubo superne ampliore ibique subtus ventricoso: labio inferiore superius suparante; rudimentum staminis quinti apice supra barbatum; semina subglobosa.

Jo. Bapt. Monet de Lamarkius (Encycl. méth. Botan. t. II. p. II. pag. 586) conjunxit *Chelonen* cum *Pentstemone* suadet tamen separationem (l. c. t. II. p. II. p. 587 sub No. 2), cum *Pentstemon* discrepet a *Chelone* stamine quinto sterili, quod Lamarkius desiderat in *Chelone* (l. c. p. 586 sub No. 1).

Nec J. L. M. Poiretius (Encycl. méth. Botan. Suppl. t. II. p. II. pag. 649; — t. IV. p. I. pag 351.) ausus est, *Pentstemonem* designare proprium genus; fatetur enim, *Pentstemonis* stamen quintum sterile fertilibus longius apiceque barbatum sistere characterem nimis laevem. Itaque *Pentstemonem* admittit tantum subdivisionem generis *Chelones.*

C. H. Persoonius primum (C. a Linné Syst. veg. Edit. XV. procur. a C. H. Persoon. p. 590) omnino conjunxit *Chelonen* et *Pentstemonem* in unum genus; serius (Synops. plant. II. p. 169) tamen ei sistunt subgenera ob stamen sterile in illa glabrum, in hoc barbatum. A. L. Jussieui observationibus innitens de *Penstemone* praeterea effatur, ejus species fortasse etiam, quoad fructum adtineat, sub proprio genere esse separandas. Praeterea nomen „*Pentstemonis*“, tum temporis usitatum, mutat in „*Pentastemonis*“, quod et suavius sonat, et rectius compositum est.

Chr. Schkuhrius (Botan. Handb. II. p. 177.) genera ambo commemorata conjungit; attamen monendum, eum caruisse occasione investigandi *Pentastemonis* speciem genuinam, cum hortus Wittenbergensis ei suppeditaret solummodo *Chelonen obliquam* L.

C. L. Willdenovius (Spec. pl. III. p. 225—228) aeque ac R. Brownius (Gul. Ait. Hort. Kew. Edit. II. cura R. Brown. IV. p. 7.) discernunt *Pentastemonem* a *Chelone,* utentes his characteribus: 1) *Chelone*: corolla ringens, ventricosa; rudimentum filamenti quinti glabrum. — 2) *Pentastemon*: corolla bilabiata, ventricosa; rudimentum filamenti quinti superne barbatum.

Curt. Sprengelius (Syst. V g. II. p. 682; — Gen. pl. II. p. 495) denique iterum *Pentastemonem* subnectit *Chelonae*; attamen filamentum sterile, prout vel glabrum vel barbatum, inservit ei ad formandas duas generis sectiones (Syst. veg. II. p. 812 — 813).

Si autem jam temporibus Linnaei genera distinguenda *Chelone* et *Pentastemon* praebebant Botanicis causam divortii, tum post Linnaeum orta est lis de genere *Ourisia Juss.* Detecta enim erat in fissuris rupium freti Magellanici planta, quam Linnaeus filius (Linn. Suppl. p. 279) et Forsterus filius (Comment. Goett. IX. p. 35) retulere ad genus *Chelonen* Linnaei patris, atque insignivere nomine *Chelones ruellioidis.* Primi autem Commersonius et A. L. de Jussievus (Gen. pl. Edid. Usteri p. 112) contenderunt, *Chelonen ruellioidem* L. fil. non instructam esse filamento quinto sterili, eam itaque potius proprium sistere genus, quod *Ourisiam* nuncuparunt. Ex eodem charactere Jussieuus *Ourisiam* adnumerat familiae suae *Pedicularium*, dum *Chelone* ei militat sub *Bignonieis.*

Jo. Bapt. Monet de Lamarkius (Encycl. méth. Botan. t. II. pag. 587), Linnaeum et Forsterum sequens, inter *Chelonas* enumerat quoque *Chelonen ruellioidem* L. fil.

C. L. Willdenowius (Spec. pl. III. p. 226) *Ourisiae* servavit locum inter *Chelonas*, cum observationibus Forsteri potius quam observationibus Jussieui consideret, nec ei suppeditaret planta, in quam inquireret ipse.

Jos. Gaertnerus (Suppl. Carpol. Cent. I. p. 44. tab. 185. fig. 5.) *Ourisiam* separavit a *Chelone*, et descripsit in *Ourisia* corollae campanulatae limbum subaequalem et stamina tantummodo quatuor, didynama, innitens specimini magellanico, in herb. Cel. Desfontaines asservato.

C. H. Persoonio, cum Linnaei Systema vegetabilium ederet (anno 1797), nondum innotuerat Jussieui de *Chelone ruellioide* L. fil. observatio, quam ob causam tum temporis ei adhuc *Chelones* speciem sistebat; attamen serius (Synops. pl. II. p. 169.) *Ourisiam* genus distinxit notis a Jos. Gaertnero indicatis. Cum *Ourisia* autem conjunxit quoque *Dichromam* genus ab Ant. Jos. Cavanillesio (Icon. pl. et descript. VI. p. 69. tab. 582; — Anal. de Cienc. natur. III. t. 32, e Spreng. Gen. pl. II. p. 491.) constructum e planta ex insula Chiloe allata.

J. L. M. Poiretius (Encycl. méth. Botan. Suppl. t. IV. p. 1. pag. 236) secutus est C. H. Persoonium, *Dichromam* genus subnectens *Ourisiae.* Jam autem *Ourisiae* tertiam speciem habet, nempe *Ourisiam integrifoliam*, quam R. Brownius in terra Diemen collegerat, et redux in Europam factus descripserat (Nov. Holl. I. p. 439, e Poir. l. c.).

Curtius Sprengelius (Syst. veg. II. p. 682; — Gen. pl. II. p. 491) separat *Ourisiam* genus a *Chelone* ob defectum staminis quinti sterilis et ob semina membranâ laxâ obvoluta, quae e Sprengelii opinione in *Chelone* vel marginata vel nuda. Quod autem ad Cavanillesii *Dichromam* genus attinet, hoc Sprengelio primum (Syst. veg. II. p. 682) sistebat proprium genus et a *Chelone* et ab *Ourisia* distinctum; serius (Gen. pl. II. p. 491) tamen Sprengelius *Dichromam* cum *Ourisia* conjunxit.

E scriptorum hisce de generibus summorum opinionibus adductis elucet, inprimis stamen quintum sterile vel glabrum vel barbatum vel deficiens suasisse eis, ut *Pentastemonem* et *Ourisiam* a *Chelone* generice separarent. Quem summum characterem genericum auctorum alii confirmare atque augere studebant characteribus desumtis nunc a corollae diversa forma, nunc ab antherarum indumento et staminis sterilis proportione relative ad stamina fertilia, nunc a fructuum et seminum diversa structura, nunc denique a florum et bractearum dispositione diversa. Varia autem organa in flore generum commemoratorum obvia perlustrantes invenimus, pleraque eorum usurpari non posse ad distinguenda haec genera, si sequimur consilium exstruendi genera NATURALIA, innitentia praeterea characteribus essentialibus pluribus.

§ 2.

Characteres generici Pentastemonis aestimantur.

Calyx generis *Chelones* Linnaei certe non praebet characteres genericos, cum tantummodo respectu formae laciniarum sistat differentias formis transitus junctas et genus ratione haud naturali dividentes. Corolla in quibusdam *Chelones* speciebus sat distincta videtur, attamen hoc respectu species quaedam aliae transitus formas exhibent, ita ut secundum corollae formam genus dividi nequeat, nisi distinguas fere tot genera, quot innotuere species. Character, qualem Schreberus et Willdenowius e corolla eruere, certe non valet ad *Chelonen* secernendam a *Pentastemone.*

Linnaeus, quod ad staminum structuram attinet, monet, antheras in *Chelonis* genuinis esse villis tomentosas, in *Chelonis* reliquis autem glabras, — stamen sterile autem primo casu esse glabrum, secundo barbatum. Hodie autem jam innotuere et nonnullae species instructae antheris pilosis simulque stamine sterili barbato (*Pent. rivularis Dougl.* etc.), et porro multae aliae species instructae antheris glabris simulque stamine sterili glabro (*Pent. gentianoides nob.* etc.). Itaque, si stamina respicias, quatuor genera certe minime naturalia distinguas necesse est. Nec jucundior erit eventus, si solummodo stamen sterile (exclusis antheris) pronuncies characterem distinctivum generum commemoratorum, prout vel barbatum vel glabrum; et enim ex hoc uno charactere pertinerent species multae ad *Chelonen,* quae e charecteribus reliquis pluribus potius pertinent ad *Pentastemonem.* Sin vero stamen quintum sterile re vera omnino desideratur in *Chelone ruellioide* et *Ourisiae* speciebus reliquis (quas mihi ad manum non esse valde doleo), tum characterem non spernendum inde sumas, quo eas generice distinguas a *Chelone.* Caeterum nostris ex observationibus in *Chelonis* genuinis omnibus stamina fertilia et sterile basi pubescunt, itaque stamen sterile solummodo apice glabrum dici potest. Proportio staminis sterilis relative ad longitudinem staminum fertilium nequaquam exhibet characterem genericum.

Character, quem e fructu haustum proposuit Jussieuus, omnino falsus videtur; etenim et in *Chelonis* genuinis et in *Pentastemonibus* dissepimentum formatur valvarum marginibus inflexis, et in utriusque generis speciebus invenimus capsulam maturam magis minusve distincte quadrivalvem, ita ut dissepimentum fere eodem jure dicas valvis contrarium, quo nuncupas valvis parallelum.

Secundum semina, prout vel lenticularia, alâ membranaceâ cincta, vel angustata, procul dubio naturalissime et optime *Chelonen* genus Linnaei dividas, cum huic characteri respondeat quoque inflorescentia *Chelonarum* genuinarum valde distincta ab inflorescentia *Pentastemonum*, uti jam Jussieuus bene monuit. Etenim in *Chelonis* genuinis flores subsessiles, simpliciter et dense spicati, fere capitati, singuli stipati bracteolis tribus, verticillatis, involucrum triphyllum, calycem arcte includens sistentibus, unde calyx imbricatus, 8-phyllus videtur; in *Pentastemonibus* contra, quales nos e semine proponimus, flores magis minusve paniculati, singuli suffulti bracteolis vel solitariis vel nullis, a flore remotis. Monendum tamen, semina *Chelones nemorosae,* quae potius ad *Pentastemones* pertinere videtur, in opere periodico Anglico „Botanical Register“ dici marginata; caeterum hoc verbum non significat idem, quod alatum, et si hoc loco significat idem, tum fortasse descriptio seminum loco citata falsa est, de quo judicare non possum, cum in hujus speciei semina inquirendi occasio nunquam mihi oblata sit. — Semina *Ourisiae,* secundum Sprengelium membrana reticulata laxa obvelata, genus hoc a *Pentastemone* et *Chelone* vix distinguunt, cum arillus, in Scrofularineis multis, si non in plerisque obvius, in *Chelone,* uti nobis videtur, sistat alam, in *Pentastemone* autem angulos seminis.

§. 3.

Quibus notis genera Pentastemonibus affinia ab his distinguantur explicatur.

Quae supra monuimus suadent, ut a *Chelonis* genuinis, instructis rudimento staminis quinti, seminibus lenticularibus, ala membranacea cinctis, floribusque spicato-capitatis, singulis involucratis, praeter species, quas Botanici pronunciant stamine sterili omnino destitutas, separemus quoque species gaudentes quidem staminis quinti rudimento, recedentibus tamen a *Chelonis* genuinis et seminibus angulatis, et floribus plerumque paniculatis, singulis exinvolucratis. Illae nobis sistunt *Ourisiae*, hae autem *Pentastemones.*

Postquam de *Martynia*, *Sesamo* et *Ourisia* generibus locuti sumus, non supervacaneum videtur nobis, afferre, quae praeterea *Labiatiflorarum* genera *Pentastemonibus* sint affinia, quibusque notis ab his discrepent. In *Sesamearum* familia praeter *Martyniam* L. et *Sesamum* L. ex observationibus recentiorum instructa sunt rudimento quinti staminis genera *Craniolaria* L. (Spreng. gen. pl. II. p. 504), *Josephinia Vent.* et *Pedalium* L. (Spreng. Gen. pl. II. p. 483), quae tamen fructu drupaceo plerumque pluriloculari recedunt a *Pentastemone.* In *Bignoniacearum* generibus plerisque stamen quintum sterile obvium est, uti in *Bignonia* L. (Spreng. Gen. pl. II. p. 501), *Tecoma Juss.*, *Jacaranda Juss.*, *Spathodea Pal. Beauv.*, *Amphilophio Kunth*, *Eccremocarpo Ruiz et Pav.*, *Salpiglottide Ruiz et Pav.*, *Incarvillea Juss.*, quae tamen omnia discrepant a *Pentastemone* dissepimento foliaceo-compresso, demum libero, margine semina foliaceo-compressa, biserialia gerente. Observatur rudimentum staminis quinti etiam in generibus *Citharexylo* L. (Spreng. Gen. pl. II. p. 480), *Crescentia* L. (Spreng. l. c. p. 506) *Tanaecio Sw.*, *Duboisia R. Br.*, *Mitraria Cav.*, quae facile distinguuntur a *Pentastemone* fructu baccato, succoso. Praeterea quoque genera *Gelsemium Juss.*, *Thunbergia L. fil.*, *Anthocercis Labill.*, *Sinningia Nees.*, *Gloxinia Herit.* et *Trevirania Willd.* gaudent stamine quinto sterili. *Gelsemium Juss.* autem, e Bartlingii sententia *Gentianea*, differt a *Pentastemone* calyce 5-dentato, seminibus apice alatis etc.; *Thunbergia L. fil.*, quae sub *Acanthaceis* militat, recedit a genere nostro calyce duplici, fructus structura etc.; *Anthocercis Labill.* discrepat a *Pentastemone* corollae limbo aequali etc.; denique e *Gesneriacearum* familia *Sinningia Nees.* facillime distinguitur a *Pentastemone* capsula uniloculari, placentis parietalibus; — *Gloxinia Herit.* autem fructu infero etc. — *Trevirania Willd.* una cum *Pentastemone* a Sprengelio (Syst. veg. II. p. 682) et a Bartlingio (Ord. natur. pl. p. 171) subnectitur *Anthirrhineis* ordinis *Scrofularinearum*; sed Reichenbachius (Conspect. regni veg. p. 125) *Treviraniam Willd.* adnumerat *Gesneriaceis*, et quidem omni jure, cum nostris ex observationibus gaudeat ovario semi-infero, 1-loculari, placentis parietalibus, nec non annulo perigyno.

§ 4.

Pentastemonis generis character genericus naturalis eruitur.

Si organa omnia omnium *Pentastemonum* respicimus, elucet, eos inter se convenire his characteribus:

Calyx simplex, basi nudus (exinvolucratus), monophyllus, quinquepartitus, persistens: partitiones ovato-orbiculatae vel lineari-subulatae, integerrimae vel serrulatae, corolla breviores, aequales vel inaequales.

Corolla monopetala, tubulosa vel subcampanulata: faux glabra vel barbata: limbus ampliatus, inaequalis, bilabiatus: labium superius bilobum, vel rectum, vel magis minusve reflexum, superiore plerumque longius.

Staminum quatuor fertilia, didynama, corollae basi inserta, adscendentia, corollae labio superiore inclusa: antherae bilobae, biloculares, glabrae vel barbatae. Staminum quintum sterile, rudimentarium, corollae basi sub labio superiore insertum, descendens, glabrum vel apice supra barbatum, fertilibus plerumque brevius.

Ovarium superum, liberum, ovatum, biloculare, apice tamen uniloculare: loculamentis multi-ovulatis: stylus terminalis, adscendens, apice deflexus: stigma truncatum vel subcapitatum.

Capsula ovata, acuta, bilocularis, in apice summo tamen unilocularis, bivalvis: valvae marginibus inflexae, dum placenta connatae, itaque dissepimentum constituentes, demum apice ad suturas et ad nervum medium dehiscentes, quam ob causam capsula quadrivalvis videtur: placenta centralis, incrassata, demum apice a dissepimento soluta, undique semina gerens.

Semina minuta, in fructus loculamento utroque numerosa, placentis undique affixa, albuminosa, (tri-)angulata, membrana (arillo) crassiuscula, cellulosa, pellucida arcte inclusa. Embryo axilis.

Herbae perennes vel suffrutices, glaberrimae vel pubescentes, interdum glandulosae vel glaucae vel pruinosae, caule ramisque subteretibus vel subquadrangularibus, nodosis. Folia gemina opposita, rarius terna quaternave verticillata, simplicia, plerumque integra, rarius pinnatifido-incisa, margine integerrima vel serrata, penninervia; radicalia plerumque longe petiolata; caulina media subsessilia; caulina suprema amplexicaulia. — Inflorescentia terminalis, paniculata: paniculis plerumque laxis, rarissime contractis et hinc *Labiatarum* more verticillato-spicatis: pedunculis pedicellisque plerumque elongatis, rarius abbreviatis, basi 1-2-bracteatis vel ebracteatis: bracteolis minutis, a flore remotis, nec calycis involucrum exhibentibus.

Observatio: Peloriam, i. e. formam corollae monstrosam, regularem, in *Pentastemone barbato nob.* observavit et descriptit Ad. de Chamisso (Linnaea VII. p. 206). Rotationem succi in pilis corollinis *Pentastemonis* cujusdam observavit H. Slack (L. C. Treviranus Physiol. der, Gew. I. p. 55).

§ 5.

Pentastemonis generis locus in Systematibus indicatur.

Procul dubio genus nostrum omni jure a Linnaeo ejusque successoribus collocatur in *Didynamiae* classis ordine *Angiospermia.* Nec vero Botanici adeo consentiunt de *Pentastemonis* loco in systemate naturali. Ex Jussieui (Gen. pl. Edit. Usteri. p. 153) et Persoonii (Synops. pl. II. p. 169) opinione

Pentastemones pertinent ad *Bignonieas*; Sprengelius (Syst. veg. II. p. 681), Bartlingius (Ord. natur. pl. p. 171), Lindleyus (Einleit. in d. natürl. system. Aus dem Englischen. p. 344) et Reichenbachius (Conspect. regn. veget. p. 123) autem adnumerant *Pentastemones Scrofularineis*. Nos quidem lubenter adsentimus opinioni Sprengelii, cum semina in *Pentastemonibus* ex observationibus nostris sint albuminosa. Praeterea seminum dispositio, placentae forma et capsulae structura in *Pentastemonibus* alia, ac in *Bignonieis*.

Si locum *Pentastemonis* inter genera affinia spectas, certe errarunt, qui (Spreng. Syst. Veg. II, p. 681) illum juxta *Treviraniam* collocarunt, quae mera *Gesneriacea*; errarunt etiam illi, qui collocarunt *Pentastemonem* vel inter *Gerardiam* et *Gesneriam* (Richt. Cod. Linn. p. 591), vel inter *Gerardiam, Cyrillam* et *Gloxiniam* (Willd. Spec. pl. III. p. 226), vel juxta *Sesamum* et *Incarvilleam* (Juss. Gen. pl. Edit. Usteri. p. 153); etenim procul dubio *Pentastemon* vindicat sibi locum juxta *Digitalem*, uti jam Bartlingius optime monuit (Ord. natur. pl. p. 171).

§ 6.

Pentastemonis generis distributio geographica illustratur.

Orientem versus Asia adpropinquat Americae: insularum Alëuticarum et insularum, quibus a vulpeculis nomen, series extenditur a terra continente illa usque ad hanc, nec in septentrione summo separatur Asia ab America, nisi Behringii freto angusto; at occidentem versus illis interpositus est hiatus ingens, in quo maris atlantici vasti volvuntur undae salsae, migrationum plantarum metam ultimam sistentes. Inde illustratur quae inprimis temporibus nostris probata est Botanicorum Rossicorum et Anglorum laboribus observatio, e qua regionum Americanarum septentrionali-occidentalium florae exhibent genera et species easdem multas, cum contra Europae flora, paucis speciebus exceptis, omnino differat a flora Americae septentrionali-orientalis. Quod confirmatur quoque *Pentastemone* genere tantummodo in America sponte nascente, si excipis speciem unam, *Pentastemonem frutescentem Lamb.*, quae provenit in insula Unalaschka ad Americam sita, simulque in Asiae peninsula Camtschatca, nec vero occidentem versus ulterius extenditur, itaque in Asia reliqua et Europa desideratur.

Quod ad *Pentastemonis* generis distributionem intra Americae fines attinet, monemus, regnum Mexicanum et Cubam insulam sistere ejus limitem maxime australem. In illo reperies *Pentastemonem gentianoidem nob. Pent. imberbem nob.*, *Pent. barbatum nob.*; in hac *Pent. elegantem nob.* — *Pentastemones* a regno Mexicano inde extenduntur praecipue in Americae regiones septentrionali-occidentales, quae alunt *Pent. nemorosum nob.*, *Pent. speciosum Dougl.*, *P. diffusum Dougl.* etc.; nec non in Americae regionibus septentrionali-orientalibus obvii sunt, uti *Pent. triphyllus Dougl.*, *Pent. pubescens Dougl.*, *P. laevigatus Dougl.* — *Pentastemonis* generis finis septentrionales exhibent denique *Pent. frutescens Lamb.* et *Pent. glaucus Dougl.*

§ 7.

Vires Pentastemonum medicinales exponuntur.

Secundum Kosteletzkium (Allgem. medic. pharmac. Flora III. p. 882) *Pentastemones* gaudent viribus medicinalibus iisdem, ac *Chelonae* genuinae, et illi uti hae incolis regionum, in quibus sponte sua crescunt, exhibent remedia morborum. Sistunt autem remedium efficax tonicum, purgativum, quo utuntur quoque in exanthematibus herpeticis. *Chelone glabra* L. gaudet substantia propria atra, amarissima, resinosa, praeterea tannino et acido gallico, et excellit eo, quod adsumta colore nigro adficit urinam. Quae fortasse quoque in *Pentastemonibus* observantur.

§ 8.

De Pentastemonibus generis speciebus historica quaedam narrantur.

Antecessoribus Linnaei et Linnaeo ipsi (Richt. Cod. Linn. p. 591.) *Pentastemonis* generis, quale nos proponimus, innotuerunt species duae, nempe *Chelone hirsuta* L. et *Ch. Pentastemon* L., quae nobis sistunt *Pentastemonis*

Digitalis Nutt. varietates β et *γ*. — Aitonius pater (Hort. Kew. II. p. 360, — e Willd. Spec. pl. III. p. 227) in descriptione sua horti Kewensis enumerat speciem tertiam sub nomine *Pent. pubescentis*, quoe hodie eadem putatur, ac *Chelone hirsuta* L. — Aeque etiam *Pent. laevigatus* Aitonis patris (Hort. Kew II. p. 361, — e Willd. Spec. pl. III. p. 228) non differt a *Chelone Pentstemone* L. — Ant. Joh. Cavanillesius (Icon. pl. I. p. 18, tab. 29; — III. p. 22, tab. 242) *Pentastemonem* genus ditavit speciebus duabus mexicanis, quas ille nominavit *Chelonen barbatam* et *Chel. campanulatam*. Quae species hodie sistunt *Pentastemonem barbatum nob.* et *Pent. campanulatum Ait.* — Eodem fere tempore cum Cavanillesio Joh. Christ. Wendlandius *Pentastemonem barbatum* descripsit sub nomine *Chelones formosae* (Wendl. Botan. Beobacht. p. 51, — e Willd. Spec. pl. III. p. 226); et Henr. Andrewsius (Botan. Repos. p. et tab. 35 et 40) adeo species ambas Cavanillesii proposuit sub nominibus *Chelones ruellioidis* (*Chel. barbata. Cav.*) et *Chel. campanuloidis* (*Chel. campanulata Cav.*). — Etiam Thompson condidit quandam *Chelonen formosam*, quae e sententia Aitonis filii et R. Brownii a *Chelone barbata* species diversa (Hort. Kew. Edit. II. Cura R. Brownii IV. p. 7). — Interea quoque Aylmer Bourke Lambertus (Linn. Transact. X. p. 259 tab. 6) descripsit *Pentastemonem frutescentem*, a Petro Sim. Pallasio in Sibiria orientali detectum, et ab eo nomine *Digitalis dasyanthae* insignitum. — Frider. Purshius, ex America redux factus, provulgavit *Pentastemonem glabrum*, *Pent. eriantherum*, *Pent. angustifolium*, *Pent. Bradburii*, quorum species secunda e Sprengelii opinione sistit *Pent. cristatum Fras.*, tertia autem *Pent. coeruleum Nutt.*, et quarta denique *Pent. grandiflorum Fras. Nutt.* — Nec non Jo. Fraserus et Thom. Nuttallius, professor Philadelphiae, *Pentastemonem* genus observationibus propriis amplificarunt, uti jam e supra dictis elucet. Propdsuerunt autem praeterea species: *Pent. Digitalem*, *P. eriantherum* (qui non differt a *Pent. glabro Purshii*), *P. teretiflorum* et *P. albidum* (qui secundum Sprengelium speciem unam eandemque sistunt), *P. gracilem* (qui nobis exhibet *Pent. Digitalis Nutt.* varietatem ε). — Alex. ab Humboldtius (Humb. Bonpl. Kunth. Nov. gen. et Spec. II. p. 291 — 293, tab. 117 et 178) in regno mexicano detexit *Chelone imberbem*, *Chel. gentianoidem*, *Chel. elegantem*, *Chelonen angustifoliam*, quas omnes *Pentastemonis* generis species distinctas putamus, *Chelone angustifolia* excepta, quam *Pentastemonis campanulati* varietati γ subnectimus. — Jo. Torrey, medicus americanus, provulgavit *Pentastemonem alpinum*, novam speciem. — Multitudinem autem ingentem specierum novarum, maxima ex parte a Douglasio determinatarum, exhibentur in voluminibus numerosis operis botanici periodici, quod in Anglia prodit sub titulo: „Botanical Register". Pertinent huc *Pentastemon triphyllus*, *P. Scouleri*, *Chelone nemorosa* (*Pent. nemorosus nob.*), *Pent. glandulosus*, *P. venustus*, *P. speciosus*, *P. confertus*, *P. acuminatus*, *P. pruinosus*, *P. Richardsonii*, *P. pulchellus* (*P. campanulati var. ε nob.*), *P. diffusus*, *P. glaucus* (*P. Digitalis Nutt. var. δ nob.*), *P. attenuatus* (*P. Digitalis Nutt. var. ζ nob.*), *P. deustus*. — Praeterea in opere periodico Anglico: „Botanical Magazine" provulgantur *Pent. procerus Dougl.* (*P. conferti var. β nob.*), *P. ovatus Dougl.*; — porro in opere „British Flover Garden" inveniuntur *Chelone rosea* (*Pent. campanulati Ait. var. γ. nob.*) et *Chelone atropurpurea* (*Pent. campanulati Ait. var. δ nob.*); — et denique Sweetius in opere, quod inscribitur „Hortus suburbanus Londinensis", commemerat *Pent. rivularem Dougl.*, *P. serrulatum Dougl.* et *P. suffruticosum Dougl.* — Quarum specierum omnium synopsin, pagellis sequentibus exhibitam, Botanicorum indulgentiae recommendatam esse volumus.

§ 9.

Pentastemonum Synopsis periclitatur.

I. Legitimi nob.: antheris glaberrimis, stamine sterili barbato.

  a. *Paniculis contractis, subcylindricis, subverticillatis, pedunculis primariis rhachidi adpressis; pedicellis abbreviatis.*

1. *Pentastemon confertus Dougl.*: ubique glaberrimus; foliis oppositis, integerrimis, acutis: radicalibus oblongis, in petiolum angustatis: supremis sessilibus, oblongo-lanceolatis; floribus confertissimis, in thyrsum spicaeformem, subverticillatum dispositis; calycis glabri laciniis irregulariter denticulatis, albo-marginatis; corolla subtubulosa, parva: fauce barbata; antheris glabris; stamine sterili apice barbato, fertilia aequante.

α. Ochroleucus: corolla ochroleuca.

Pent. confertus Bot. Reg. t. 1260.

Habitat in Rocky Mountains etc. Americae septentrionalis. — (Vid. viv.)

β. violaceus: corolla violacea.

Pent. procerus Bot. Mag. t. 2954.

Habitat cum var. *α*.

2. *Pentastemon acuminatus Dougl.*: caule adscendente, glaberrimo, valde glauco; foliis oppositis, integerrimis vel dentatis, glabris, valde glaucis: radicalibus ovato-oblongis, longe petiolatis, subcoriaceis: caulinis cordatis, amplexicaulibus; floribus in paniculam subverticillatam, spicaeformem dispositis; calycis laciniis coriaceis, acuminatis; corolla calycem ter superante: tubo sensim dilatato: fauce nuda, inflata: limbo valde obliquo: laciniis rotundatis vel retusis; antheris glabris; filamento sterili apice leviter barbato.

Pent. acuminatus Bot. Reg. tab. 1285.

Hab. in Columbia.

3. *Pentastemon pruinosus Dougl.*: undique pruina caesia tectus; caule pubescente; foliis oppositis, pubescentibus: radicalibus petiolatis, integerrimis dentatisve: caulinis dentatis, amplexicaulibus; floribus in paniculam subverticillatam, spicaeformem dispositis; calyce pubescente; corolla calycem bis superante; limbi lobis rotundatis, integris; antheris glabris, stamine sterili barbato.

Pent. pruinosus Bot. Reg. t. 1280.

Hab. in Columbia. — (Vid. sicc.)

b. racemis subsimplicibus vel paniculis ramosis, laxis; pedicellis plerumque longis.

** foliis integris.*

4. *Pentastemon cristatus Fras.*: caule pubescente; foliis oppositis, remote vel obsolete dentatis, pubescentibus: infimis elliptico-oblongis, petiolatis: superioribus oblongis; floribus in racemum subsimplicem dispositis; calycis dense pubescentis laciniis ovatis; corolla majuscula, ventricosa, calycem ter superante: fauce dense barbata: limbo non ciliato; antheris glabris; stamine sterili fertilia subaequante, in apice summo dense et longissime barbato.

Pent. cristatus Fras., — e Spreng. Syst. Veg. II. p. 813.
Pent. erianthera Pursh., — e Spreng. l. c.
Chelone cristata Spreng. l. c.

Habitat ad fl. Missuri. — (Vid. sicc.)

5. *Pentastemon campanulatus Ait.*: foliis oppositis, angusto-oblongis, argute serratis, sessilibus, glaberrimis: supremis subamplexicaulibus; floribus laxe paniculatis; calycis glanduloso-pubescentis laciniis lineari-oblongis, discretis; corolla tubulosa vel ventricosa: fauce glabra vel barbata; antheris glabris; stamine sterili apice barbato, fertilia subaequante.

α. purpureus: corolla ventricosa, purpurea; fauce nuda.

Pent. campanulatus Willd. Spec. pl. III. 1. p. 228. — Bot. Mag. tab. 1878.
Chelone campanulata Cav. Ic. tab. 29. — Lam. Encycl. méth. Botan. Supplem. t. II. p. II. pag. 694. — Pers. Synops. II. p. 169. — Spreng. Syst. veg. II. p. 813.
Chelone campanuloides Andr. Bot. Repos. t. 40.

Hab. in regno Mexicano. — (Vid. viv.)

β. Jacquini: corolla ventricosa, purpurea; fauce parce barbata.

Pent. campanulatus Jacq. Hort. Schoenbr. t. 362.

Pent. angustifolius Bot. Reg. t. 1122.

Hab. cum var. α. — (Vid. viv.)

γ. *roseus*: corolla tubulosa, purpurea; fauce densius barbata.

Chelone rosea Brit. Flow. Gard. t. 230.

Chelone angustifolia H. B. Kunth. Nov. gen. et spec. II. t. 178.

Hab. cum var. α. — (Vid. viv.)

δ. *atropurpureus*: corolla valde ventricosa, intense violacea; fauce parce barbata vel subglabra.

Chelone atropurpurea Brit. Flow. Gard. t. 235.

Hab. cum var. α. — (Vid. viv.)

ε. *pulchellus*: corolla valde ventricosa, pallide lilacina vel rosea; fauce parce barbata vel subglabra.

Pent. pulchellus Bot. Reg. t. 1138.

Hab. cum var. α. — (Vid. viv.)

6. *Pentastemon elegans nob.*: caule glaberrimo; foliis oppositis, sessilibus, glaberrimis, ovato-lanceolatis, argute serrulatis; floribus simpliciter et laxe paniculatis; calycis hirtelli laciniis lanceolatis; corolla majuscula (incarnata?): lobis obtusis: fauce leviter barbata; antheris glabris; stamine sterili barbato, fertilia subaequante. — *A Pentastemone campanulato Ait. foliorum forma recedere videtur.*

Chelone elegans H. B. Kunth. Nov. gen. et spec. pl. II. p. 293. — Spreng. Syst. veg. II. p. 813.

Hab. in insula Cuba et in Nova Hispania.

7. *Pentastemon diffusus Dougl.*: caule decumbente, radicante, ramoso, glabro; foliis sempervirentibus, oppositis, ovato-oblongis, glabris, inaequaliter arguteque serratis: inferioribus in petiolum angustatis; floribus laxe paniculatis; calycis pubescentis laciniis argute serrulatis, apice aristatis; corolla majuscula: lobis rotundatis; antheris glabris; filamento sterili barbato.

Pent. diffusus Bot. Reg. t. 1132.

Hab. ad fluvium Columbiam. — (Vid. viv.)

8. *Pentastemon ovatus Dougl.*: caule pedunculisque glanduloso-pubescentibus; foliis oppositis, glabris, grosse dentatis, cordatis: radicalibus longe petiolatis: caulinis amplexicaulibus; floribus paniculatis; calycis abbreviatissimi, parce pubescentis laciniis ovato-ellipticis, integerrimis; corolla subtubulosa; fauce barbata; antheris glabris; stamine sterili barbato.

Pent. ovatus Bot. Mag. t. 2903.

Hab. in America septentrionali-occidentali. — (Vid. sicc.)

9. *Pentastemon Digitalis Nutt.*: caule apice magis minusve pubescente; foliis oppositis, glabris, integerrimis vel obsolete denticulatis, acutis: radicalibus ellipticis vel oblongis, in petiolum angustatis: caulinis cordato-lanceolatis vel cordato-ovatis, amplexicaulibus; floribus laxe paniculatis; calycis glanduloso-pubescentis laciniis ovato-lanceolatis, integerrimis, basi sese tegentibus; corolla magis minusve ventricosa; fauce barbata; antheris glabris; stamine sterili barbato, fertilia subaequante.

α. *albidus*: caule subpubescente; foliis viridibus, obsolete denticulatis; corolla majuscula, albida.

Pent. Digitalis Bot. Mag. t. 2537.

Chelone Digitalis Spreng. Syst. veg. IV. p. 235. — Brit. Flow. Gard. t. 120.

Hab. in Arcansa Americae septentrionalis. (Vid. viv.)

β. *pubescens*: caule ubique pubescente; foliis viridibus, obsolete denticulatis; corolla pallide lilacina, elongata.

Pent. pubescens Willd. Spec. pl. III. 1. p. 227. — Bot. Mag. t. 1424.

Pent. hirsutus Willd. Spec. pl. III. 1. p. 227.

Chelone pubescens Pers. Synops. II. p. 169.

Chelone hirsuta L. Richt. Cod. Linn. p. 591. No. 4421. — Lam. Encycl. méth. Botan. t. II. p. II. pag. 587. — Pers. Synops. II. p. 813.

Chelone Pentstemon Lam. Encycl. méthod. Botan. t. II. p. II. pag. 586. (e l. c. Suppl. t. II. pag. 694.)

Hab. in Alleghanna Mountains Americae septentrionalis. — (Vid. viv.)

γ. *laevigatus*: caule glabro, apice summo parce pubescente; foliis viridibus, obsolete denticulatis; corolla pallide lilacina, abbreviata.

Pent. laevigatus Willd. Spec. pl. III. I. p. 228. — Poir. Encycl. méth. Botan. Suppl. t. II. p. II. pag. 694. — Bot. Mag. tab. 1425.

Chelone Pentstemon L. Richt. Cod. Linn. p. 591. No. 4422.

Chelone laevigata Pers. Synops. II. p. 169. — Spreng. Syst. veg. II. p. 813.

Hab. in America septentrionali a Pensylvania usque ad Carolinam. — (Vid. viv.)

δ. *glaucus*: caule glabriusculo; foliis glaucescentibus, obsolete denticulatis; corolla lilacina, abbreviata.

Pent. glaucus Bot. Reg. t. 1286.

Hab. in America arctica.

ε. *gracilis*: caule glabro, apice pubescente; foliis bracteisque angustis, glaucescentibus, obsolete denticulatis; corolla elongata, pallide lilacina, apice lutea.

Pent. gracilis Bot. Mag. t. 2945.

Chelone gracilis Spreng. Syst. veg. II. p. 813.

Hab. in America septentrionali.

ζ. *attenuatus*: caule apice pubescente; foliis integerrimis; corolla ochroleuca, abbreviata.

Pent. attenuatus Bot. Reg. t. 1295.

Hab. in America septentrionali in montibus ad fl. Clarkii et Lewisii.

10. *Pentastemon frutescens Lamb.*: caule pubescente, apice hirsuto; foliis ellipticis vel oblongis, oppositis, obsolete denticulatis, margine ciliato-pubescentibus; imis subpetiolatis; floribus laxe paniculatis; calycis hirsuto-pubescentis laciniis elongato-lanceolatis, integerrimis; corolla magna, ventricosa, calycem bis superante; fauce nuda; limbo ciliato; antheris glabris; stamine sterili a medio ad apicem brevissime piloso, fertilia subaequante.

Pent. frutescens Lamb. in Account of the herb. of Pallas; in Linn. Transact. X. p. 259. tab. 6 (bona). — Poir. Encycl. méth. Botan. Suppl. t. III. p. 1. pag. 351.

Digitalis dasyantha Pall. herb. (e Lamb. l. c.)

Chelone frutescens Spreng. Syst. veg. II. p. 812.

Hab. in Camtschatca et in insulis Alëutorum (Unalaschca). — (Vid. sicc.)

** *Foliis pinnatifido-incisis; antherarum valvulis ciliato-denticulatis.*

11. *Pentastemon Richardsonii Dougl.*: foliis oppositis, angusto-oblongis, pinnatifido-incisis, glabris, subpetiolatis; laciniis angustis, subserratis; floribus laxe paniculatis; calycis glanduloso-pubescentis laciniis lanceolatis, integerrimis; corolla valde ventricosa: fauce parce barbata; antherarum glabrarum valvulis margine ciliato-denticulatis; stamine sterili apice barbato. — *Respectu corollae omnino similis Pent. campanulati Ait. varietati δ; respectu formae foliorum et structurae antherarum omnino quadrat in Pent. triphyllum Dougl.*

Pent. Richardsonii Bot. Reg. t. 1121.

Hab. in America septentrionali-occidentali. — (Vid. viv.)

12. *Pentastemon triphyllus Dougl.*: foliis verticillatis (ternis vel quaternis), angusto-oblongis, pinnatifido-incisis, glabris, subpetiolatis: laciniis angustis, subserratis; floribus laxe paniculatis; calycis pubescentis laciniis lanceolatis, integerrimis; corolla vix inflata; antherarum glabrarum valvulis margine ciliato-denticulatis; stamine sterili dense barbato.

Pent. triphyllus Bot. Reg. tab. 1245.

Hab. in Blue Mountains Americae septentrionalis. — (Vid viv.)

II. LEPTOSTEMON NOB. antheris glaberrimis: stamine sterili glaberrimo.

13. *Pentastemon gentianoides nob.*: foliis oppossitis, lanceolatis, integerrimis, sessilibus, glaberrimis; floribus racemoso-paniculatis; calycis glabriusculi laciniis ovatis, basi sese tegentibus; corolla tubulosa: fauce nuda; antheris glabris; stamine sterili glaberrimo, fertilia subaequante.

Chelone gentianoides H. B. Kunth. Nov. gen. et spec. pl. II. tab. 177. — Spreng. Syst. veg. II. p. 812.

Hab. in regno Mexicano. — (Vid. sicc.).

14. *Pentastemon imberbis nob.*: caule erecto, tenuissime pubescente; foliis angusto-linearibus, integerrimis, glabris; floribus laxe paniculatis; calycis tenuissime pubescentis laciniis subrotundo-ovatis; corolla tubulosa; labio superiore recto, inferiore deflexo: fauce nuda; antheris glabris; stamine sterili glabro, fertilia subaequante.

Chelone imberbis H. B. Kunth. Nov. gen. et. spec. pl. II. p. 292. Spreng. Syst. veg. II. p. 812.

Hab. in montosis Novae Hispaniae.

15. *Pentastemon barbatus nob.*: glaber, glaucescens; foliis oppositis, integerrimis: infimis spathulato-oblongis, in petiolum angustatis: superioribus lineari-oblongis, sessilibus; floribus laxe paniculatis; calycis laciniis ovatis, margine sese tegentibus; corolla tubulosa: labio superiore recto: labio inferiore deflexo, dense barbato; antheris glabris; stamine sterili fertilibus multo breviore, glaberrimo.

Chelone barbata Cav. Jc. III. t. 242. — Willd. Spec. pl. III. 1. p. 226. — Encycl. méth. Botan. Suppl. II. 2. p. 694. — Pers. Synops. II. p. 169. — Spreng Syst. Veg. II. p. 812. — Bot. Reg. t. 116.

Chelone ruellioides Bot. Repos. t. 34.

Chelone formosa Wendl. Botan. Beobacht. p. 51, — e Willd. Sp. pl. III. p. 226.

Hab. in regno Mexicano. — (Vid. sicc.)

16. *Pentastemon speciosus Dougl.*: glaucus, glaber; foliis oppositis, integerrimis: radicalibus spathulatis: caulinis angusto-lanceolatis, subundulatis, sessilibus; floribus speciosissimis, in paniculam subverticillatam, subcoarctatam dispositis; calycis laciniis ovatis, sese tegentibus; corolla inflata, glabra, limbo bilabiato: lobis rotundatis, subaequalibus; antheris glabris; stamine sterili glabro.

Pent. speciosus Bot. Reg. t. 1270.

Hab. in America septentrionali-occidentali.

17. *Pentastemon serrulatus Dougl.*: ubique glaberrimus; foliis oppositis, argute serratis: radicalibus elliptico-oblongis, in petiolum angustatis, oblongis; floribus confertissimis, in thyrsum spicaeformem dispositis; calycis glabri laciniis lanceolatis, integerrimis; corolla subtubulosa, parva; fauci (ni fallor) nuda; antheris glabris; stamine sterili (ni fallor) nudo.

Pent. serrulatus Dougl. in Sweet. Hort.

Habitat in America septentrionali. — (Vid. sicc.)

III. Erianthera nob.: antheris pilosis.

18. *Pentastemon Scouleri Lindl.*: foliis oppositis, obovato-oblongis, acutis, argute serratis, glabris: infimis subpetiolatis; floribus simpliciter racemosis; calycis subpubescentis laciniis lineari-lanceolatis, elongatis; corolla maxima; labiorum lobis tenuissime serrulatis: fauce pubescente; antheris lanatis; seminibus angulatis.

Pent. Scouleri Bot. Reg. t. 1277.

Hab. in Columbia. — (Vid. sicc.)

19. *Pentastemon rivularis Dougl.*: caule apice tenuissime pubescente; foliis oppositis, oblongis, inciso-serratis, glabris: inferioribus subpetiolatis;

floribus laxe subpaniculatis; calycis subglabri laciniis ellipticis, mucronatis; corolla majuscula, ventricosa; limbo ciliato; antheris ciliatis; stamine sterili fertilia subaequante, barbato.

Pent. rivūlaris Dougl. in herb Fischeri.

Hab. . . . . ? — (Vid. sicc.)

20. *Pentastemon glaber Pursh*: foliis oppositis, lanceolatis, subamplexicaulibus, margine undulatis, integerrimis; floribus dense paniculatis; calycis laciniis ovatis; corolla ventricosa: tubo brevissimo; antheris hirsutis; stamine sterili glaberrimo, fertilia subaequante.

Pent glaber Bot. Mag. t. 1672.

Pent. erianthera Fras.

Chelone erianthera Spreng. Syst. veg. II. p. 813.

Hab. in Louisiana superiore.

21. *Pentastemon nemorosus nob.*: foliis oppositis, ovatis, acuminatis, serratis, glabris: inferioribus subpetiolatis: superioribus amplexicaulibus; floribus laxe paniculatis; calycis laciniis lineari-lanceolatis, discretis; corolla ventricosa; antheris lanuginosis; stamine sterili supra pubescente, fertilibus breviore; seminibus marginatis (?).

Chelone nemorosa Bot. Reg. t. 1211.

Hab. in America septentrionali-occidentali. — (Vid. viv.)

22. *Pentastemon glandulosus Dougl.*: ubique glanduloso-pubescens; foliis oppositis, dentatis: radicalibus ovatis, breviter petiolatis: supremis cordato-ovatis, amplexicaulibus; floribus paniculatis; calycis laciniis ovatis; corolla magna, ventricosa: fauce glabra; antheris ciliatis; stamine sterili glabro, fertilia subaequante; seminibus angulatis.

Pent. glandulosus Bot. Reg. t. 1262.

Hab. in Rocky Mountains et Blue Mountains Americae septentrionalis.

23. *Pentastemon venustus Dougl.*: caule erecto, glabro; foliis oppositis, sessilibus, ovato-lanceolatis, denticulatis, glabris; floribus laxe paniculatis; calyce glaberrimo; corolla ventricosa, ciliata; antheris pilosis. — *Maxime affinis dicitur Pent. diffuso Dougl.*

Pent. venustus Bot. Reg. t. 1309.

Hab. in montibus Americae septentrionali-occidentalis.

24. *Pentastemon alpinus Torr.*: glaberrimus; foliis oblongo-lanceolatis, denticulatis, pedunculis multifloris; corolla subregulari; antheris hirsutis.

Chelone alpina Spreng. Syst. veg. IV. 2. p. 235.

Hab. in montibus Americae septentrionalis.

Species nobis minus notae et quoad sectionem dubiae.

25. *Pentastemon albidus Nutt.*: caule humili; foliis sessilibus, ovato-lanceolatis, serrulatis, glabris; floribus axillaribus, fasciculatis; calycibus pubescentibus.

Pent. albidus Nutt.

Pent. teretiflorus Fras.

Chelone albida Spreng. Syst. veg. II. p. 813.

Hab. ad fluv. Missuri.

26. *Pentastemon coeruleus Nutt.*: foliis lineari-lanceolatis, sessilibus, integerrimis, ciliatis, couleque glabris, glaucis; pedunculis multifloris.

Pent. coeruleus Nutt.

Pent. angustifoliis Fras. Pursh.

Chelone coerulea Spreng. Syst. veg. II. p. 813.

Hab. ad fluv. Missuri.

27. *Pentastemon decussatus Dougl.* in Sweet Hort.

28. *Pentastemon deustus Dougl.*: caule adscendente, glabro; foliis inciso-serratis: radicalibus ovato-oblongis: caulinis inferioribus spathulatis caulinis mediis oblongis, acutis, sessilibus: supremis subintegris; calycibus

glabris; corollae limbi laciniis retusis: supremis minoribus. — *Corolla ochroleuca.*

Pent. deustus Bot. Reg. t. 1318.

29. *Pentastemon* (Chelone) *formosus Thomps.* bot. Displ. 4 (ex Ait. Hort. Kew. Edit. II. Cura R. Brownii. IV. p. 7.)

30. *Pentastemon grandiflorus Fras. Nutt.*: caule elato, glauco, glaberrimo; foliis amplexicaulibus, oblongo-subrotundis, integerrimis, glaucis, glaberrimis; floribus axillaribus, amplis.

Pent. grandiflorus Fras. Nutt.
Pent. Bradburii Pursh.
Chelone grandiflora Spreng. Syst. veg. II. p. 813.

Hab. ad fluv. Missuri.

31. *Pentastemon suffruticosus Dougl.* in Sweet. Hort.

INDEX PLANTARUM IN SINOPSI COMMEMORATARUM.

Chelone albida Spr. No. 25.
  alpina Spr. 24.
  angustifolia H. B. K. 5.
  atropurpurea Brit. Flow. Gard. 5.
  barbata Cav. 15.
  campanulata Cav. 5.
  campanuloides Andr. 5.
  coerulea Spr. 26.
  cristata Spr. 4.
  Digitalis Spr. 9.
  elegans H. B. K. 6.
  erianthera Spr. 20.
  formosa Wendl. 15.
  „ Thomps. 29.
  frutescens Spr 10.
  gentianoides H. B. K. 13.
  gracilis Spr. 9.
  grandiflora Spr. 30.
  hirsuta L. 9.
  imberbis H. B. K. 14.
  laevigata Pers. 9.
  nemorosa Bot. Reg. 21.
  Pentastemon L. 9.
  pubescens Pers. 9.
  rosea Brit. Flow. Gard. 5.
  ruellioides Bot. Repos. 15.
Digitalis dasyantha Pall. 10.
Pentastemon *acuminatus* Dougl. 2.
  albidus Nutt. 25.
  alpinus Torr. 24.
  angustifolius Bot. Reg. 5.
  „ Fras. Pursh. 26.
  attenuatus Bot. Reg. 9.
  barbatus nob. 15.
  Bradburii Pursh. 30.
  campanulatus Ait. 5.
Pentastemon *coeruleus* Nutt. 26.
  confertus Dougl. 1.
  cristatus Fras. 4.
  decussatus Dougl. 27.
  deustus Dougl. 28.
  diffusus Dougl. 7.
  Digitalis Nutt. 9.
  elegans nob. 6.
  erianthera Pursh. 4.
  „ Fras. 20.
  formosus Thomps. 29.
  frutescens Lamb. 10.
  gentianoides nob. 13.
  glaber Pursh. 20.
  glandulosus Dougl. 22.
  glaucus Bot. Reg. 9.
  gracilis Bot. Mag. 9.
  grandiflorus Fras. Nutt. 30.
  hirsutus W. 9.
  imberbis nob. 14.
  laevigatus W. 9.
  nemorosus nob. 21.
  ovatus Dougl. 8.
  procerus Bot. Mag. 1.
  pruinosus Dougl. 3.
  pubescens W. 9.
  pulchellus Bot. Reg. 5.
  Richardsonii Dougl. 11.
  rivularis Dougl. 19.
  Scouleri Lindl. 1
  serrulatus Dougl. 17.
  speciosus Dougl. 16.
  suffruticosus Dougl. 31.
  teretiflorus Fras. 25.
  triphyllus Dougl. 12.
  venustus Dougl. 23.

*

DETERMINATIO SUPERFICIEI,
OMNES GENERIS DATI LINEAS
DATO SUB ANGULO
INTERSECANTIS

SCRIPSIT

HENR. GUST. BORENIUS,
MATHESEOS DOCENS AD IMP. UNIV. ALEXANDR. IN FENNIA.

(Conv. exhib. d. 12 januar. 1838.)

§ 1.

Problema trajectoriae, vel lineae omnes dati generis lineas sub angulo dato intersecantis, jam inde a primis temporibus calculi integralis inventi notum, deinde a multis auctoribus denuo receptum atque examinatum fuit; analogum vero hujus problematis, pertinens ad superficiem, nondum mihi innotuit calculo subductum esse a Mathematicis. Quam ob rem me haud prorsus inutilem suscepturum esse laborem judicavi, si generaliori sub respectu consideratum examini subducerem hanc materiem, cujus igitur nunc solutionem in pagellis hisce sequentibus, quantum eandem pro viribus exhibere potui generalem, indulgenti Academiae Imperialis submittere audeo judicio.

§ 2.

Sint

$$\left.\begin{array}{l} y = f\,(x, g, h) \\ z = \varphi\,(x, g, h) \end{array}\right\} \qquad 1),$$

aequationes lineae in spatio, coordinatis rectangularibus expressae, poteruntque aequationes tangentis lineae datae in puncto cujus coordinatae a, b et c exprimi

$$y - b = (x - a) f'a$$
$$z - c = (x - a)\,\varphi'a,$$

designantibus scilicet $f'a$ et $\varphi'a$ coefficientes differentiales functionum $f\,(x, g, h)$ et $\varphi\,(x, g, h)$, ponendo tantummodo x variabili, substituendoque deinde a pro x. Sit vero

$$F\,(x, y, z) = 0 \qquad 2)$$

aequatio superficiei, lineam illam in puncto eodem, cujus coordinatae a, b, et c intersecantis, habebimusque, ponendo brevitatis causa $\frac{dz}{dx} = p$, $\frac{dz}{dy} = q$, aequationem plani tangentis, ut constat

$$z - c = p\,(x - a) + q\,(y - b),$$

substituto scilicet, in valoribus coefficientium differentialium p et q, a pro x. Habemus igitur jam, posito angulo dato $= n$, pro sinu ejusdem anguli aequationem

$$\text{Sin}\, n = \frac{\varphi'x - qf'x - p}{\sqrt{(1 + p^2 + q^2)(1 + f'x^2 + \varphi'x^2)}} \qquad 3).$$

Ponamus deinde quantitates g et h quoque esse variabiles, unde perspicuum est gigni plures ejusdem generis lineas, ac data aequationibus 1); problema vero, quod nobis solvendum proposuimus, est determinatio superficiei, omnes hasce sub angulo dato intersecantis. Patet vero, si g et h eliminari contingat inter aequationes 1) et 3), haberi aequationem inter x, y, z, p et q, quae igitur erit aequatio differentialis superficiei determinandae. Cum vero eliminatio quantitatum g et h in genere effici nequeat, facile apparet nos eundem assecuturos esse finem eliminantes primo inter aequationes 1) et 3) atque differentialia aequationum 1) et 2) quantitates y, z, p et q, nec non coefficientes differentiales earundem quantitatum, differentiatione provenientes. Resultatum erit aequatio differentialis inter x, g et h; qua integrata, g et h ope aequationum 1) eliminandae erunt. Habemus ex aequationibus 1), considerando x, y et z ut functiones variabilium g et h, differentiandoque, positis vicibus alternis vel g vel h variabilibus,

calor maximus = 11°,20, hora $h = 1^h{,}62 = 1^h\ 13'{,}2$ p. m.
minimus = 8,61, . . . = 16,23 = 4 13,8 a. m.

Hora diei	Calor		Differ.	Hora diei	Calor		Differ.
	observat.	computat.			observat.	computat.	
0	10°,93	10°,96	— 0°,03	12	8°,96	8°,77	+ 0°,19
1	11,07	11,16	— 0,09	13	8,58	8,74	— 0,16
2	11,72	11,19	+ 0,53	14	8,49	8,70	— 0,21
3	11,11	11,03	+ 0,07	15	8,53	8,64	— 0,11
4	10,62	10,73	— 0,11	16	8,58	8,61	— 0,03
5	10,18	10,34	— 0,16	17	8,76	8,63	+ 0,13
6	9,80	9,93	— 0,13	18	8,89	8,74	+ 0,15
7	9,47	9,54	— 0,07	19	9,02	9,04	— 0,02
8	9,24	9,22	+ 0,02	20	9,36	9,29	+ 0,07
9	9,07	9,01	+ 0,06	21	9,69	9,72	— 0,03
10	8,96	8,88	+ 0,08	22	10,02	10,18	— 0,16
11	8,91	8,81	+ 0,10	23	10,42	10,62	— 0,20

Haec ultima expositio temperaturae aëris oceani circa latitudinem 60° nullius quidem est per se pretii, quoniam observationes decem tantum dierum characterem loci adeo septentrionalis climaticum determinare non valent ideo tamen eam hic offerendam esse duximus, quod facta comparatione cum loco quodam Europaeo continentali, in eadem latitudine geographica sito, singularis illa a locorum positione pendens diversitas climatica inde appareat. Sic observationes hic Helsingforsiae iisdem diebus, scilicet a 5 ad 14 Junii 1836, per omnes horas usque a 7 matutina ad 11 vespertinam adnotatae, unacum temperatura noctis minima, hunc valorem, observationibus omnibus ad gradus Thermometri Réaumuriani reductis, praebent:

$$\text{Therm.} = 9^{\circ},65 + 3,253 \text{ Sin } (h\ 15 + 15^{\circ}\ 31') + 0,781 \text{ Sin } (h\ 30 + 215\ \ 22),$$

unde apparet medium diei calorem utriusque loci omnino eandem fuisse, ceteroquin vero hanc exstitisse diversitatem, antea quoque jam cognitam, quod in loco continentali major sit calor tempore diurno, nocturno vero minor, ut illud ostendit sequens comparatio:

Hora diei	Calor		Differ.	Hora diei	Calor		Differ.
	oceani Atlant.	Helsingfors.			oceani Atlant.	Helsingfors.	
0	10,96	11,74	+ 0,78	12	8,77	6,65	— 2,12
1	11,16	11,92	+ 0,76	13	8,74	5,96	— 2,58
2	11,19	12,09	+ 0,90	14	8,70	5,65	— 3,05
3	11,03	12,25	+ 0,22	15	8,64	5,79	— 2,85
4	10,73	12,35	+ 1,62	16	8,61	6,30	— 2,31
5	10,34	12,34	+ 2,00	17	8,63	7,11	— 1,52
6	9,93	12,13	+ 2,20	18	8,74	8,08	— 0,66
7	9,54	11,66	+ 2,12	19	9,04	9,06	+ 0,02
8	9,22	10,91	+ 1,69	20	9,29	9,95	+ 0,66
9	9,01	9,92	+ 0,91	21	9,72	10,66	+ 0,94
10	8,88	8,78	— 0,10	22	10,18	11,17	+ 0,99
11	8,81	7,64	— 1,17	23	10,62	11,51	+ 0,89

Facta jam comparatione innotescit, determinationes temperaturae caloris locorum variorum supra institutas optime confirmare expositionem linearum isothermalium, qualis a recentissimis Geographis proponitur (confr. **Berghaus** Physikalischer Atlas, Gotha 1838), si solummodo ea exceperis, quae de locis latitudinis 55° ad 65° nuper attulimus, habentibus scilicet medium calorem 9°,65, qui in systemate isothermali esset circiter 5°. Hujus discrepantiae causa in ea re est quaerenda, quod tempore tantum aestivo institutae sint observationes Schantzianae, lineae vero isothermales totius anni calorem respiciunt.

Si ad rationes, a diversis rei serutatoribus propositas, medium calorem ex observationibus temperaturae paciorum horarum diei inveniendi hisce jam utimur adnotationibus Schantzianis, sicut Lütkeanas ad eundem finem non ita pridem adhibuimus (vid. Commentar. Acad. Caesar. Scient. Petropolit. T. III), sequens se nobis offert comparatio:

Series	Verum medium	Mannheim.		Humboldt.		Schön I.		Schön II.		Kämtz.		Brewster.		Maxim. et Minim.	
		valor	diff.	valor	diff.	valor	diff.	valor	diff.	valor	diff.	valor	diff.	med.	diff.
VII	21,89	21°,96	+0°,07	21°,91	+0°,03	21°,93	+0°,04	21°,90	+0°,01	21°,83	−0°,06	21°,93	+0°,04	22°,11	+0°,22
VIII	21,42	21,50	+0,08	21,45	+0,03	21,48	+0,06	21,44	+0,02	21,36	−0,06	21,54	+0,12	21,64	+0,22
IX	21,61	21,68	+0,07	21,65	+0,04	21,66	+0,05	21,64	+0,03	21,58	−0,03	21,68	+0,07	21,77	+0,16
X	20,17	20,27	+0,10	20,18	+0,01	20,21	+0,04	20,17	0	20,05	−0,12	20,17	0	20,56	+0,39
XI	20,19	20,27	+0,08	20,22	+0,03	20,25	+0,06	20,22	+0,03	20,15	−0,04	20,24	+0,05	20,38	+0,19
XII	18,65	18,72	+0,07	18,65	0	18,68	+0,03	18,65	0	18,55	−0,10	18,56	−0,09	18,94	+0,29
XIII	17,08	17,15	+0,07	17,15	+0,07	17,17	+0,09	17,18	+0,10	17,15	+0,07	17,16	+0,08	17,02	−0,06
XIV	12,09	12,12	+0,03	12,19	+0,10	12,10	+0,01	12,08	−0,01	12,08	−0,01	12,09	0	12,25	+0,16
XV	12,96	13,00	+0,04	12,99	+0,03	13,00	+0,04	13,00	+0,04	12,97	+0,01	12,95	−0,01	13,04	+0,08
XVI	8,72	8,76	+0,04	8,71	−0,01	8,73	+0,01	8,71	−0,01	8,66	−0,06	8,71	−0,01	8,90	+0,18
XVII	8,33	8,40	+0,07	8,39	+0,06	8,41	+0,08	8,39	+0,06	8,35	+0,02	8,47	+0,13	8,39	+0,06
XVIII	9,60	9,70	+0,10	9,63	+0,03	9,64	+0,04	9,65	+0,05	9,56	−0,04	9,53	−0,07	9,90	+0,30

unde facile apparet, in climatibus maritimis, et iis tam anni temporibus, quibus vulgo peregrinantur navigatores, quam locis quos visitare solent, simplicissima addita correctione e duabus vel tribus tantum observationibus quotidianis determinari posse medium loci calorem. Si nempe ad Lütkeanas et has Schantzianas simul consulimus observationes, medium ubivis sumendo arithmeticum atque designantibus II, III, IX, X, XIX, et XX temperaturam hisce horis in Thermometro Réaumuriano observatam, habemus medium calorem diei $= \frac{1}{3}(\mathrm{II}+\mathrm{X}+\mathrm{XIX})-0{,}06;$

$= \frac{1}{24}(7.\mathrm{III}+10.\mathrm{X}+7.\mathrm{XX})-0{,}03;$

$= \frac{1}{24}(7.\mathrm{III}+9.\mathrm{X}+8.\mathrm{XX})-0{,}05;$

$= \frac{1}{24}(7.\mathrm{II}+10.\mathrm{IX}+7.\mathrm{XIX})-0{,}03;$

$= \frac{1}{4}(\mathrm{II}+2.\mathrm{IX}+\mathrm{XIX})+0{,}03;$

$= \frac{1}{2}(\mathrm{X}+\mathrm{XXII})-0{,}01;$

$= \frac{1}{2}(\text{Maxim.}+\text{Minim.})-0{,}17;$

quibus, si placet, hic addi potest valor:

$= \frac{1}{2}(\mathrm{VII}+\mathrm{XX})+0{,}08.$

Hi omnes tam regionibus tropicis quam etiam climatibus maritimis diversae latitudinis geographicae ideo optime quidem conveniunt, quoniam parva est variatio caloris diurni atque nocturni; an vero ad loca praesertim continentalia Europaea, ubi major et diversis anni temporibus diversa observatur temperaturae diurnae variatio, applicari possint, quaestio est alia occasione speciali examini subjicienda.

DE

SAMERARIA ET ISATIDE

GENERIBUS COMMENTATIO

AUCTORE

E. R. A TRAUTVETTERO.
BOTANICES PROFESSORE P. O. KIOVIENSI.

(Lu le 5 mars 1841.)

Inter genera, quae praeprimis Rossiae peculiaria sunt, specierum copia simulque affinitate inter se summa excellit genus *Isatis*. Quodsi *Isatidum* inter se affinitas commemorata haud supervacaneum reddit commentationem, quae discrimina inter *Isatides* exstantia, utpote minutula, denuo enucleet et iconibus illustret: certe botanicorum rossicorum est, illustrare genus rossicum, novissimis temporibus ditatum speciebus novis rossicis, in indices plantarum universales nondum receptis. Quaemihi in herbariis et hortis rossicis saepe obviam factae sunt *Isatides*, iterum atque iterum me impulere, impendere studia in *Isatidem* genus intricatum, — et cum demum Kioviae clar. Besseri benevolentia in ejus herbario conferre mihi liceret *Isatides* haud paucas hucusque mihi dubias, non potui non occasione oblata ubi, ut compararem mihi de *Isatide* genere cognitionem pleniorem diu a me exoptatam. Sin autem nihilominus est, quod ingenue fatear, hanc cognitionem meam adhuc nequaquam perfectam esse, quod attinet ad species extrarossicas; attamen observationes meae in species rossicas factae haud prorsus indignae mihi visae sunt, quae Scientiarum Academiae patriae et botanicorum judicio submittantur. Itaque mihi sumsi, botanicorum rossicorum officio, quod ad *Isatides* attinet, observationum mearum publicatione satisfacere, donec viri alicujus peritioris studia *Isatidem* genus melius, quam mihi contigit, illustrent. Utinam indulgenter excipiant botanices Magistri pagellas, quas nec absolutas, nec errorum expertes esse mihi persuasissimum est!

DE SAMERARIA ET ISATIDE GENERIBUS COMMENTATIO.

Generalia quaedam.

Cruciferarum tribus, quam De Candollius primus distinxit atque nomine *Isatidearum* sive *Notorhizearum nucamentacearum* salutavit, primum amplexa est genera *Tauscheriam*, *Isatidem*, *Myagrum* et *Sobolewskium*; serius De Candollius his addidit genus *Aphragmum*; denique *Isatidearum* generum numerus increvit nuper conditis generibus *Dipterygio*, *Tetrapterygio*, *Thysanocarpo* et *Neslia*, quam postremam ob siliculas indehiscentes demum uniloculares nunc *Isatideis* adnumerant. Interea genus *Aphragmus* hodie jure meritoque jam non sub *Isatideis* militat. Itaque *Isatidearum* tribus, uti nunc exstat, composita est e generibus *Dipterygio* Decsne., *Tetrapterygio* F. et Mey., *Isatide* L., *Tauscheria* Fisch., *Thysanocarpo* Hook., *Sobolewskia* M. B., *Neslia* Desf. et *Myagro* Tourn. Verumtamen praeter haec *Isatidearum* genera, quae utique agnoscuntur, etiam genus *Samerariam*, qualem Desvaux exstruxit, ex *Isatidibus*, quibuscum in unum genus hodie conjunctum est, amovendum esse et peculiare inter *Isatideas* genus exhibere censemus. Quod quo melius intelligatur, in *Isatideas* ulterius inquirere mihi hoc loco liceat.

Isatideas, quae nunc appellantur, apte dividas in sectiones duas, quarum altera siliculis alatis, altera siliculis exalatis distinguenda est. Ad priorem sectionem commemoratarum, quam *Isatideas genuinas* nuncupo, spectant genera *Dipterygium*, *Tetrapterygium*, *Tauscheria*, *Thysanocarpus*, *Isatis* et *Sameraria*; ad posteriorem, quam *Isatideas spurias* appello, pertinent genera *Sobolewskia*, *Neslia* et *Myagrum*. Genera autem *Isatidearum* genuinarum structura fructuum dignoscuntur hac ratione:

Genus *Dipterygium* Decsne., mihi solummodo e descriptionibus notum, secundum Endlicherum (Genera plant. p. 880) excellit inter *Isatideas* siliculae subquadrialatae stylo tereti, semine adscendente[1]. Genus *Tetrapterygium* F. et Mey., cujus silicula aeque quadrialata, differt attamen a *Dipterygio* semine pendulo et stigmate sessili. A genere *Tetrapterygio Isatis* genus solummodo siliculis bialatis (rarissime monstrose trialatis, e. gr. hinc inde in *Isatide littorali* Stev.), a latere plano-compressis diversum est. Stigma in *Isatide* genere sessile est, uti Endlicherus (Genera plant. p. 881) recte monet, si excipias *Isatidem armenam* L., stylo longo, filiformi instructam. Qui quidem *Isatidis armenae* L. character distinctivus minime est negligendus, cum sustentetur alio etiam charactere, nempe eo, quod fructuum pedicelli in *Isatide armena* L. apice non incrassati sunt, qui in *Isatidibus* reliquis omnibus apice clavato-incrassati. Exinde *Isatidem armenam* L. ab *Isatide* genere omnino amovendum, et genus *Samerariam*, quod Desvaux ex *Isatide armena* L. exstruxit, restituendum esse censemus. *Isatide* proxime affine est *Tauscheria* genus, — *Samerariae* contra *Thysanocarpus* genus. Quod attinet ad stylum sessile, siliculas bialatas, a latere compressas *Tauscheria* et *Isatis* inter se congruunt, sed differt *Tauscheria* ab *Isatide* siliculis a latere cymbaeformi-compressis (nec planis), latere altero eximie excavato, altero eximie convexo, alaque inflexa. Endlicherus *Tauscheriae* tribuit stylum membranaceum, — conferas autem generis ovarium immaturum, et persuadebitur tibi, stigma generis sessile esse, et fructus rostrum minime e stylo, sed potius ex ovarii ipsius apice maturitatis tempore demum producto oriri. *Thysanocarpus* contra stylo filiformi gaudet nec non siliculis bialatis, a latere plano-compressis, nec differt a *Sameraria* (quacum fortasse haud inepte in unum genus eam conjungas) nisi fructus ala in ambitu foraminibus pertusa vel punctorum pellucidorum serie instructa, quae foramina et puncta in *Samerariae* fructu desunt.

---

[1] In herbario meo asservo *Isatideae* cujusdam ad Euphraten crescentis fructus maturos, qui nullo modo a fructibus *Tetrapterygii* generis differre mihi videntur, etenim sunt quadrialati, semenque pendulum includunt. Stylus hisce in fructibus Euphraticis certe non adest, attamen fructuum ipsorum apex demum productus stylum aemulatur.

DE SAMERARIA DESV.

Sameraria: Stylus filiformis; silicula indehiscens, unilocularis, monosperma, a latere compressa, plana, diptera, dorso utrinque alato-carinata; ala membranacea, imperforata, punctisque pellucidis in ambitu destituta. — Pedicelli filiformes, apice haud incrassati. — *Thysanocarpus* differt siliculae ala in ambitu foraminibus pertusa vel punctis pellucidis instructa.

1) *Sameraria armena* Desv.: foliis cordato-amplexicaulibus; siliculis orbiculatis, basi apiceque emarginatis, in disco pubescentibus. — Vid. sicc. spont. — Tab. I. Fig. 1. *a.* silicula matura m. n.; *b.* silicula immatura m. n.; — delin. ad specim. e Turcomania allata).

Sameraria armena Desv. Journ. III. p. 161 (sec. De Cand.) *Isatis armena* Richt. Cod. Linn. p. 650. — De Cand. Syst. veg. II. p. 566; Prodr. I. p. 210.

Habitat in pratis siccioribus Armeniae (Buxb.); in ripis maris caspii orientalibus circa Novo-Alexandrovsk! (Karel.) — In Iberia verosimiliter non crescit.

DE ISATIDE L.

Isatis: stigma sessile; silicula indehiscens vel rarius subdehiscens unilocularis, monosperma, a latere compressa, plana, diptera, dorso utrinque alato-carinata; ala membranacea vel coriacea, imperforata, punctisque pellucidis in ambitu destituta. — Pedicelli apice clavato-incrassati. — *Sameraria* et *Thysanocarpus* differunt stylo filiformi et pedicellis apice haud incrassatis; *Tauscheria* silicula cymbaeformi (nec plana), pedicellis apice haud incrassatis.

Sectio I. *Dasycarpae*: siliculae juventute pilosae.

A. Siliculae latitudine saltem triplo longiores.

1) *Isatis dasycarpa* Ledeb.: glabra; foliis sagittato-amplexicaulibus; siliculis oblongo-cuneatis (nigrescentibus), latitudine triplo longioribus, undique praeprimis autem in disco tenuissime pubescentibus, interdum demum omnino glabris, apice rotundato-truncatis vel emarginatis, basin versus angustatis, ima basi pedicello incrassato triplo latioribus. — Vid. cult. — Tab. I. Fig. 2; *a.* silicula matura m. n.; *b.* silicula immatura m. n.; — delin. ad specim. sicc. cult.

Isatis dasycarpa Ledeb. Fl. alt. III. p. 205 (sub *Isatide hebecarpa* De Cand.)

Patria mihi ignota.

Species hinc *Isatidi canescenti* Dec., illinc *Isatidi tinctoriae* L. peraffinis, sed a priore distinguenda siliculis nigrescentibus (nec decoloribus), apice rotundato-truncatis vel emarginatis (nec rotundatis), demum interdum prorsus glabris; — a posteriore siliculis juventute dense pubescentibus.

2) *Isatis canescens* Dec.: glabra; foliis sagittato-amplexicaulibus; siliculis oblongo-cuneatis (decoloribus), latitudine vix quadruplo longioribus, undique praeprimis autem in disco tenuissime pulverulento-pubescentibus, apice rotundatis, basin versus angustatis, ima basi pedi-

cello incrassato subtriplo latioribus. — Vid. sicc. spont. — Tab. I. Fig. 3. *a.* silicula matura m. n.; *b.* silicula immatura m. n. — delin. ad specim. sicc. siculum.

Isatis canescens De Cand. Syst. veg. II. p. 572; Prodr. I. p. 211 (excl. var *β.*)

Habitat in apricis maritimis Galloprovinciae circa Telonem (De Cand.); in Sicilia! (Janius in herb. Bess.); ad littora Ponti non longe a Bosphoro prope Fanar (Buxb.).

3) *Isatis iberica* Stev.: hirsuta; foliis sagittato-amplexicaulibus; siliculis (nondum perfecte maturis) oblongo-spathulatis, latitudine triplo quadruplove longioribus, in disco et basi tenuissime pubescentibus, apice glabris et rotundatis basin versus angustatis, ima basi pedicello eximie incrassato-clavato paullo latioribus. — Vid sicc. spont. — Tab. I. Fig. 4. *a.*) silicula nondum perfecte matura varietatis siliculis brevioribus praeditae m. n.; *b*) silicula valde immatura varietatis siliculis longioribus praeditae m. n. — del. *a*) ad specimina sicc. circa Helenendorf lecta; *b*) ad specimina Tiflisiensia.

Isatis iberica Stev. in: Mém. de Mosc. III. p. 267. — M. Bieb. Fl. taur. cauc. III. p. 422.

Isatis canescens De Cand. *β. iberica* De Cand. Syst. veg. II. p. 572. Prodr. I. p. 211.

Habitat in Iberia prope Tiflin! (Stev.); ad Besobdalin montem (Eichw.); prope coloniam Helenendorf! (Hohenack.).

Species siliculis apice glabris, pedicellis apice eximie incrassatis inter affines excellens. Caeterum variat. *α*) siliculis brevioribus, *β*) siliculis longioribus.

4) *Isatis aleppica* Scop.: glabra; foliis caulinis sagittato-amplexicaulibus; siliculis lineari-cuneatis, latitudine quintuplo longioribus, undique praeprimis autem margine pube retrorsa obsitis, demum in disco

subglabris, apice rotundatis, basin versus angustatis, ima basi pedicello incrassato subtriplo latioribus. — Vid. cult. — Tab. I. Fig. 5. *a.* silicula matura m. n.; *b.* silicula immatura m. n. — del. ad specim. cult.

Isatis aleppica Scop. — De Cand. Syst. veg. II. p. 573; Prodr. I. p. 211.

Isatis lusitanica L. (nec Brot.) excl. synom. (sec. De Cand.). — Richt. Cod. Linn. p. 650.

Isatis aegyptiaca L? (sec. De Cand.). — Richt. Cod. Linn. p. 650.

Isatis dentata Pers. Ench. II. p. 193.

Habitat in Orientis littoribus apricis, in Graeciae et Asiae minoris regionibus maritimis (Sibth.): circa Aleppum (Scop.); in Syria prope Tripoli (Labill.); in Aegypto? (Linn.); in Lusitania? (Linn.).

Inter affines excellit siliculis in disco subglabris, margine pube retrorsa obsitis.

5) *Isatis orientalis* W.: siliculis oblongo-linearibus, subapiculatis, basi vix angustatis, pubescentibus, latitudine quintuplo longioribus, pedicelli longitudinem vix excedentibus (De Cand.).

Isatis orientalis W. — De Cand. Syst. veg. II. p. 572. Prodr. I. p. 211.

Habitat in Oriente (De Cand.).

Species a me non visa, a praecedentibus, uti videtur, dignoscenda siliculis brevioribus, basi haud angustatis.

B. Siliculae latitudine vel vix vel duplo longiores.

6) *Isatis sibirica* Trautv.: foliorum caulinorum sagittato-amplexicaulium auriculis basilaribus acutis; siliculis ellipticis, latitudine circiter duplo longioribus, undique praeprimis autem in disco parum prominente tenuissime pubescentibus, basi apiceque obtusiusculis, ala acute-compressa cinctis. — Vid. spont. — Tab. I. Fig. 6. *a.* silicula

matura m. n.; *b*. silicula immatura m. n. — delin. ad specim. e Krasnojarsk Sibiriae.

Isatis hebecarpa Turcz.! (nec De Cand.). — Ledeb. Fl. alt. III. p. 205.

Habitat circa urbem Krasnojarsk Sibiriae! (Turcz. in herb. Bess.); in locis montosis regionum altaicarum! (Ledeb.).

Isatis *hebecarpa* De Cand., Tauriae incola, est planta longe alia, quae primo intuitu dignoscenda siliculis saltem duplo majoribus, cuneatis, apice truncatis et subemarginatis.

7) *Isatis microcarpa* Gay.: foliorum caulinorum cordato amplexicaulium auriculis rotundatis; siliculis ellipticis, latitudine sesquilongioribus, undique tenuissime pubescentibus, basi apiceque rotundatis, apice mucronulatis, ala demum turgidissima discum crassitudine superante cinctis. — Vid. spont. — Tab. I. Fig. 7. *a*. silicula matura m. n.; *b*. silicula immatura m. n. — delin. ad specim. arabica.

Isatis microcarpa Gay. M S.

Habitat in regione Arbain Arabiae petraeae! (Unio itiner. in herb. Bess.)

A specie praecedente et foliis et fructu facile dignoscitur.

8) *Isatis hebecarpa* De Cand.: foliis caulinis amplexicaulibus; siliculis elliptico-cuneatis, latitudine duplo longioribus, undique praeprimis autem in disco prominente tenuissime pubescentibus, apice truncatis et subemarginatis, basin versus angustatis, ima basi pedicello incrassato multiplo latioribus. — Vid. spont. — Tab. I. Fig. 8. *a* et *b*. siliculae maturae; — delin. ad specimen Stevenianum circa Sudac lectum.

Isatis hebecarpa De Cand. Syst. veg. II. p. 569; Prodr. I. p. 211. (nec Ledeb.)

Habitat in Tauria circa Sudak! (Stev. in herb. Bess.); ad fluvium Ural in locis humidis prope urbem Uralsk, nec non in Volgae ostii insulis, Astrachaniae (Claus).

9) *Isatis latisiliqua* Stev.: foliis caulinis amplexicaulibus; siliculis orbiculari-obovatis, latitudine vix longioribus, apice conduplicato-acutiusculis vel subemarginatis, undique tenuissime pubescentibus. — Vid. spont. — Tab. I. Fig. 9. silicula matura m. n., delin. ad specim. transcaucas.

Isatis latisiliqua Stev. in: Mém. de Mosc. III. p. 367. (exclus var. β). — De Cand. Syst. veg. II. p. 566; Prodr. I. p. 210 (excl. var. β.)

Isatis cappadocica Desv. (sec. De Cand. Syst. II. p. 566).

Habitat in alpestribus circa Chinalug Caucasi (Stev.); circa Tiflin! (herb. Bess.); in Cappadocia (Tourn. sec. De Cand.).

Differt a speciebus praecedentibus siliculis latitudine vix longioribus, mere obovatis. — Illmi C. A. Meyerus et Hohenackerus cum hac confuderunt *Is. Besserianam* Trautv., *Is. Stevenianam* Trautv. et *Samerariam armenam* Desv.

Sectio II. *Gymnocarpae:* siliculae semper glaberrimae.

A. Siliculae latitudine vel vix vel duplo longiores.

10) *Isatis Steveniana* Trautv.: foliis caulinis sagittato-amplexicaulibus; siliculis orbiculari-obovatis, demum latitudine vix longioribus, apice conduplicato-acutis vel emarginatis, basi acutis, ala latissima cinctis. — Vidi spont. — Tab. I. Fig. 10. *a* silicula matura m. n.; *b.* silicula immatura m. n. delin. ad specim. in montibus Talüsch lecta.

Isatis latisiliqua β fructu glabro Stev. in: Mém. de Mosc. III. p. 268. — De Cand. Syst. veg. II. p. 566; Prodr. I. p. 210.

Isatis armena C. A. Mey. Enum. casp. cauc. p. 194 ex parte (cum

Is. Besseriana Trautv. confusa, — secundum specim. a cl. C. A. Meyero mecum communicata.)

Isatis latisiliqua C. A. Mey. Enum. casp. cauc. p. 194 (secundum specim. a cl. C. A. Meyero mecum communicata.)

Habitat in montibus Talüsch prope Swant. (C. A. Mey.)

Ab affini *Is. latisiliqua* Stev. differt siliculis semper glaberrimis.

11) *Isatis Villarsii* Gaud.: foliis caulinis amplexicaulibus; siliculis (nigrescentibus) junioribus ellipticis utrinque acutis, adultis elliptico-obovatis, latitudine duplo longioribus, apice obtusiusculis, basi acutis, in disco unicostatis; costis lateralibus obsoletis. — Vid. spont. — Tab. I. Fig. 11. *a.* silicula matura m. n. plantae Odessanae sub nomine *Is. heterocarpae* in herb. Besseriano asservatae; — *b.* silicula immatura ejusdem plantae; c. silicula matura m. n. plantae cultae sub nom. *Is. tinctoriae* L. *microcarpae* in herbario Besseriano asservatae.

Isatis Villarsii Gaud. Synops. Fl. helv. p. 526.

Isatis tinctoria L. *δ. microcarpa* De Cand. Syst. II. p. 570; Prodr. I. p. 211.

Isatis dalmatica Mill. Dict. No. 2? (sec. De Cand.)

Isatis heterocarpa Andrcz. — Besser En. plant. Podol. Volh. etc. p. 82, 102.

Habitat in Valesia (Gaud.); circa Jaorlik, ad Tyram, nec non Odessae! (Bess.); in monte Libano (De Cand.).

Species proxime affinis est *Isatidi tinctoriae* L., quae autem differt siliculis oblongo-cuneatis, latitudine triplo longioribus, apice truncatis et emarginatis. Variat *Is. Villarsii* siliculis nunc majoribus, nunc minoribus (*Is. tinctoria β microcarpa* De Cand.)

12) *Isatis praecox* Kit.: siliculis junioribus spathulatis apice truncatis, adultis elliptico-cuneatis, latitudine duplo longioribus, basi obtusis,

apice truncato-rotundatis, in disco tricostatis; costa intermedia filiformi, aequaliter elevata, carinis destituta, — costis lateralibus filiformibus, demum obsoletis. — Vidi cult. — Tab. I. Fig. 12 *a.* silicula matura m. n.; *b.* silicula immatura m. n.; delin. ad specim. cult.

Isatis praecox Kit. — De Cand. Syst. veg. II. p. 568; Prodr. I. p. 210.

Habitat in Hungaria (Kit.); in Volhynia et Podolia (Bess. Enum. pl. Volh. Podol. etc., — sed in herbario Besseri specimina Volhynica et podolica desunt.); circa Astrachan (Stev.).

Species proxime affinis *Is. costatae* C. A. Mey. (quam conferas) et *Is. Villarsii* Gaud., quae posterior differt siliculis junioribus ellipticis utrinque acutis, adultis elliptico-obovatis, basi acutis, apice obtusiusculis. *Is. laevigata* Trautv. et *Is. brachycarpa* C. A. Mey. differunt ab *Is. praecoci* Kit. siliculis basi apiceque acutis.

13) *Isatis costata* C. A. Mey.: siliculis obovato-ellipticis, latitudine duplo longioribus, basin versus parum angustatis, basi obtusiusculis, apice rotundatis, in disco tricostatis: costis lateralibus subdepressis, costa intermedia medio eximie incrassata, tricarinata. — Vidi spont. — Tab. II. Fig. 14. *a.* silicula matura plantae altaicae m. n.; *b.* ejusdem discus m. auct.; *c.* silicula matura plantae lectae circa Krasnojarsk Sibiriae; *d.* ejusdem discus m. auct.

Isatis costata C. A. Mey. — Ledeb. Fl. alt. III. p. 204; Icon. Fl. alt. illustr. tab. 339.

Habitat in locis umbrosis regionum altaicarum! (Ledeb.); circa Krasnojarsk Sibiriae! (Turcz. in herb. Bess.); in Volgae insulis (Bunge secundum Claus.).

Species proxime affinis *Is. praecoci* Kit., quae differt siliculae costa intermedia carinis destituta, filiformi, undique aequaliter elevata. *Is. laevigata* Trautv. et *Is. brachycarpa* C. A. Mey. differunt siliculis basi apiceque acutis.

14) *Isatis brachycarpa* C. A. Mey.: siliculis ellipticis, latitudine duplo longioribus, basi apiceque aeque angustatis et acutis, in disco tricostatis; costis aequalibus, lateralibus rotundatis, intermedia tricarinata.

Isatis brachycarpa C. A. Mey. — Eichw. pl. casp. cauc. p. 17. Tab. 19.

Habitat in Armenia ad lacum Goktschai (Eichw.).

Species mihi solummodo e descriptione et icone supra allatis innotuit. Proxime affinis videtur *Isatidi laevigatae* Trautv., quae autem differt siliculae disco subunicostato, costis lateralibus obsoletis, costa intermedia bicarinata.

15) *Isatis laevigata* Trautv.: siliculis decoloribus, ellipticis, latitudine duplo longioribus, basi apiceque aequaliter angustatis et acutis, in disco subunicostatis; costis lateralibus obsoletis, costa intermedia crassa, bicarinata. — Vid. cult. — Tab. I. Fig. 13. *a.* silicula matura m. n.; *b.* siliculae discus m. auct.; *c.* silicula immatura; — del. ad specim. cult.

Isatis laevigata Trautv. Index sem. hort. Kiov. 1840. p. 6.

Habitat in Sibiria!

Isatis Villarsii Gaud., quae hinc speciei quodammodo affinis, differt ab ea siliculis obovato-ellipticis, nigrescentibus; *Is. praecox* Kit. ab *Is. laevigata* facile dignoscitur siliculis elliptico-cuneatis, basi obtusis, apice rotundato-truncatis.

16) *Isatis nummularia* Trautv.: siliculis orbicularibus, utrinque rotundatis vel rarius utrinque subemarginatis, ala latissima cinctis. — Vid. spont. — Tab. II. Fig. 15. *a.* silicula matura m, n.; *b.* silicula immatura m. n. — delin. ad specim. transcauc.

Habitat in regionibus transcaucasicis! (herb. Trautv.).

Siliculae exacte orbiculares, interdum semiunciam diametro metientes, ala latissima, crassa cinctae. — Cum *Sameraria armena* Desv. confundi nequit ob stigma procul dubio sessile, pedicellos apice incrassatos, siliculas basi apiceque rotundatas vel vix subemarginatas. — *Isatis Steveni* Trautv. jam primo intuitu siliculis obovatis, basi acutis ab *Is. nummularia* Trautv. dignoscitur.

17) *Isatis Besseri* Trautv.: siliculis ovatis, basi profunde cordatis, apice acutis. ala lata, coriacea cinctis. — Vidi spont. — Tab. II. Fig. 16. *a.* silicula matura m. n.; *b.* silicula immatura m. auct.

Habitat circa Tiflin! (herb. Bess.); in montibus Talüsch ad pagum Swant?

Planta perennis, pubescens, distinctissima silicularum demum semiuncia longiorum forma. In herbario Besseriano adest specimen hortense Cremenecense, e seminibus a Stevenio circa Tiflin lectis et sub nomine *Is. latisiliquae* communicatis enatum. Ni fallor eandem plantam, circa Swant lectam, fructibus adhuc valde immaturis onustam, a cl. C. A. Meyero sub nomine *Is. armenae* accepi.

B. Siliculae latitudine saltem triplo longiores.

18) *Isatis tinctoria* L.: foliis caulinis sagittato-amplexicaulibus; siliculis nigricantibus, oblongo-cuneatis, latitudine triplo longioribus, basin versus angustatis, apice truncato-rotundatis vel subemarginatis, ala crassa angusta cinctis. — Vidi spont. et cult. — Tab. II. Fig. 17. *a.* silicula matura plantae cultae m. n.; *b*) eadem immatura m. n.; c. silicula matura plantae circa Taganrog lectae et sub nomine *Is. maeoticae* in herb Besseriano asservatae; *d.* silicula matura plantae podolicae sub nom *Isatidis maeoticae* in herbario Besseriano asservatae; *e.* silicula maturae plantae cultae siliculis majoribus donatae.

Isatis tinctoria L. — Richt. Cod. Linn. p. 650. — De Cand. syst. veg. II. p. 569; Prodr. I. p. 211. (excl. var. *δ*).

Isatis maeotica De Cand. Syst. veg. II. p. 571.; Prodr. I. p. 211.
Isatis hirsuta Pers. (sec. Steudel. Nomencl. bot. p. 440).

Habitat in Europa ab Hispania et Sicilia ad littora maris baltici (De Cand.); in insulis Alandiae et Aboae (Wirzén); ad Volgam circa Sysran (Falk.); in Turcomania boreali (Karel.); in Caucaso, Iberia media et Tauria (M. Bieb.).

19) *Isatis littoralis* Stev.: foliis caulinis sagittato-amplexicaulibus; siliculis oblongo-cuneatis, latitudine vix triplo longioribus, basi obtusis, apice rotundato-truncatis vel profunde emarginatis, ala latiuscula cinctis. — Vid. spont. — Tab. II. Fig. 18. *a.* silicula matura plantae spontaneae m. n.; *b.* silicula nondum matura alius speciminis taurici a cl. Stevenio cum Bessero sub nomine Is. littoralis communicati.

Isatis littoralis Stev. — De Cand. Syst. veg. II. p. 568; Prodr. I. p. 211.

Habitat in Tauria meridionali! (Stev.)

Species *Isatidi tinctoriae* L. proxime affinis, attamen diversa siliculis permulto majoribus (interdum $^2/_3$ uncialibus), respectu longitudinis multo latioribus, basi obtusis.

20) *Isatis campestris* Stev.: foliis caulinis sagittato-amplexicaulibus; siliculis oblongis, latitudine triplo longioribus, basin versus vix angustatis, basi obtusis, apice rotundatis, ala angusta crassa cinctis. — Vidi spont. et cult. — Tab. II. Fig. 19. *a* et *b.* siliculae maturae plantae podolicae herbarii Besseriani; *c.* silicula immatura ejusdem plantae.

Isatis campestris Stev. — De Cand. Syst. veg. II. p. 571; Prodr. I. p. 211.

Habitat in Podolia ad Tyram! (Bess.); circa Baltam et in agro Odessano (Stev.); circa Astrachan! (herb. Bess.).

Differt ab *Is. tinctoria* L. siliculis basin versus vix angustatis, fere exacte oblongis, basi obtusis, apice rotundatis. — *Is. littoralis* Stev. distinguitur siliculis multo majoribus, apice truncato-emarginatis. — *Isatis praecox* Kit. dignoscitur siliculis fere aeque longis sed duplo latioribus, basin versus angustatis. — Ab *Is. taurica* M. Bieb., cujus fortasse varietas, vix distinguitur, nisi siliculis brevioribus, basin versus minus angustatis.

21) *Isatis taurica* M. Bieb.: foliis caulinis sagittato-amplexicaulibus; siliculis lineari-oblongis, latitudine fere quintuplo longioribus, basin versus angustatis, apice obtusis, ala angusta crassa cinctis. — Vidi spont. — Tab. II. Fig. 20. *a* et c. siliculae maturae plantae Besserianae circa Baltam lectae; *b.* ejusdem plantae siliculae immatura m. n.

Isatis taurica M. Bieb. Fl. taur. cauc. III. p. 422. De Cand. Syst. veg. II. p. 571; Prodr. I. p. 211.

Habitat circa Bachtschisarài Tauriae (M. Bieb.), circa Baltam et Odessam! (herb. Bess.); in Podolia australi ad Hypanim et Tyram (Bess. Enum.).

Differt ab *Is. campestri* Stev., cui nimis affinis, siliculis respectu longitudinis duplo fere angustioribus; — ab *Is. tinctoria* L. siliculis decoloribus, angustioribus, obtusis (nec truncatis vel subemarginatis); — ab *Is. littorali* Stev. siliculis permulto angustioribus. — *Isatis taurica, campestris, littoralis* et *tinctoria* procul dubio inter se peraffines sunt, attamen distingui possunt hac ratione: *Is. tinctoria* L. siliculis oblongo-cuneatis, nigrescentibus, basi angustis, apice subtruncatis emarginatisve; — *Is. taurica* M. B. siliculis lineari-oblongis, decoloribus, basi angustatis, apice obtusis; — *Is. campestris* Stev. siliculis oblongis, parvis, basi apiceque rotundatis, ala angusta cinctis: — *Is. littoralis* Stev. siliculis oblongis, maximis, ala latiuscula cinctis.

22) *Isatis oblongata* De Cand.: foliis caulinis sagittato-amplexicaulibus; siliculis lineari cuneatis, latitudine quadruplo longioribus, basin versus angustatis, apice acutis vel breviter acuminatis, ala angusta,

crassa cinctis. — Vidi spont. — Tab. II. Fig. 21. *a.* silicula matura plantae baicalensis m. n.; ejusdem plantae silicula immatura m. n. —

Isatis oblongata De Cand. Syst. II. p. 571; Prodr. I. p. 211.

Habitat in sabulosis ad Baicalem!, circa Werchne-Udinsk! (Turcz.).

Ab affinibus speciebus haud aegre distinguitur siliculis acutis vel breviter acuminatis. — *Isatis intermedia* Turcz., planta mihi ignota, secundum Turczaninowium ipsum fortasse nil nisi *Isatidis oblongatae* De Cand. var. siliculis brevioribus.

23) *Isatis sabulosa* Stev.: foliis omnibus basin versus angustatis, auriculis foliorum nullis; siliculis lineari-oblongis, latitudine quadruplo longioribus, utrinque praeprimis autem basin versus angustatis, apice obtusiusculis, ala latiuscula membranacea cinctis. — Vidi spont. — Tab. II. Fig. 22. *a.* silicula matura plantae terektensis a Stevenio communicatae; *b.* ejusdem silicula immatura.

Habitat ad Terekum inferiorem! (Stev. in herb. Bess.).

Speciminum in herbario Besseriano asservatorum folia omnia constanter auriculis prorsus destituta, — qua nota nec non fructu species haec distinctissima est. Quod ad folia attinet uni tantum *Isatidi bannaticae* Lk. affinis est, cujus siliculae autem secundum De Candollium cuneatae, latitudine triplo longiores, basi acuminatae, apice obtusissimae.

24) *Isatis membranacea* Trautv.: foliis caulinis sagittato-amplexicaulibus; siliculis (nondum perfecte maturis) obovato-oblongis, latitudine vix triplo longioribus, utrinque praeprimis autem basin versus angustatis, basi apiceque acutiusculis, ala latiuscula membranacea reticulato-venosa cinctis. — Vidi sicc. — Tab. II. Fig. 23. *a.* silicula nondum perfecte matura m. n. plantae Besserianae; *b.* eadem valde immatura.

Patria ignota. — Planta mihi innotuit e speciminibus in herbario Besseriano asservatis.

Species *Isatidi sabulosae* Stev. quod ad fructum attinet, proxima est; attamen differt ab hac siliculis latitudine vix triplo longioribus et praecipue foliis caulinis sagittato-amplexicaulibus.

Species mihi ignotae.

25) *Isatis Garcini* De Cand. Syst. veg. II. p. 565; Prodr. I. p. 210.

26) *Isatis lecocarpa* De Cand. Syst. veg. II. p. 567; Prodr. I. p. 210.

27) *Isatis lusitanica* De Cand. Syst. veg. II. p. 567; Prodr. I. p. 210.— Huc pertinet ex Stend. Nomenil. botan. *Is. platyloba* Lk.

28) *Isatis alpina* All. — De Cand. Syst. veg. II. p. 568; Prodr. I. p. 210.

29) *Isatis bannatica* Lk. — De Cand. Prodr. I. p. 211.

30) *Isatis intermedia* Turcz. Catal. pl. Baical. in: Bullet. des Natur. de Mosc. 1838 No. 1. p. 88.

Fig. 1.



Sameraria armena Desv.

Fig. 2.



Isatis dasycarpa Led.

Fig. 3



Isatis canescens Dec.

Fig. 4.



Isatis iberica Stev.

Fig. 5.



Isatis aleppica Scop.

Fig. 6.



Isatis sibirica Trautv.

Fig. 7.



Isatis microcarpa Gay

Fig. 8.



Isatis bebecarpa Dec.

Fig. 9.



Isatis latisiliqua Stev.

Fig. 10.



Isatis Steveniana Trautv.

Fig. 11.



Isatis Villarsii Gaud.

Fig. 12.



Isatis praecox Kit.

Fig. 13.



Isatis laevigata Trautv.

NATURAL HISTORY

Fig. 14.



Isatis costata C. A. Mey.

Fig. 15.



Isatis nummularia Trautv

Fig. 16



Isatis Besseriana Trautv

Fig. 17.



Isatis tinctoria L.

Fig 18



Isatis littoralis Stev.

Fig 19



Isatis campestris Stev.

Fig 20.



Isatis taurica M. Bieb

Fig. 21.



Isatis oblongata Dec.

Fig. 22.



Isatis sabulosa Stev.

Fig. 23.



Isatis membranacea Trautv.

L HISTORY

BESCHREIBUNG

EINER

NEUEN FELDMAUS

ARVICOLA RATTICEPS.

VOM

GRAFEN KEYSERLING UND PROF. BLASIUS.

(Lu le 19 mars 1841.)

Bei unserem Aufenthalte in Welikji-Ustjug im Juli 1840 erhielten wir eine Feldmaus, die nach den Aussagen auf Ackerland in Löchern leben soll. Diese Maus stellte sich uns durch den schlanken rattenartigen Kopf sogleich als eine eigenthümliche dar. Wir hielten sie einige Tage in Gefangenschaft. Ihr Betragen war übrigens ruhig und still. Sie frass von dem Brod, das wir ihr vorsetzten, mit gutem Appetit. Sie wurde nach dem Leben gezeichnet, und wir entwarfen von ihr die folgende Beschreibung:

Kleiner als *Arvicola amphibius*, aber weit grösser als *A. arvalis* und grösser als alle übrigen europäischen und asiatischen Gattungsverwandten. während des Lebens hatte der Körper eine gedrungene Haltung, wobei der hintere Theil des Rückens erhoben war. Der todte Körper ist schlank und ziemlich gleich dick, nur hinten an den Weichen etwas zusammengezogen. Der kurze Hals unter dem langen Haar und den über ihn hin stehenden zurückgeschlagenen langen Ohren so sehr versteckt, dass er nicht merklich abgesetzt erscheint. Der schlanke Kopf ist besonders bei dem todten Thier durchaus rattenartig; während des Lebens erscheint er durch die langen aufgerichteten Haare dem Kopf der Gattungsverwandten etwas ähnlicher. Unter den Augen an den Jochbogen ist der Kopf am dicksten; der hintere Theil des Kopfes ist ziemlich gleichmässig cylindrisch, der Schnauzentheil abgesetzt und zugespitzt. Der Habitus schien uns in der That dem einer Ratte verwandter als einer Feldmaus, und nur der kürzere Schwanz verräth äusserlich, dass man eine *Arvicola* vor sich hat.

Der schmale und flache Scheitel liegt bis vorn zwischen den Augen in einer Ebene; von da senkt sich der Schnauzentheil seicht abwärts; der Schnauzenrücken ist grade. Die Schnauze von unten und oben ziemlich gleichmässig und ausgezeichnet zugespitzt; die Contour-Linie des Kopf-Profils verläuft unten in Gestalt einer halben Ellipse bis an das Schauzenende hinauf, oben aber grade. Die Kopfseiten, besonders an den Jochbogen unter und ein wenig hinter den Augen vortretend, wodurch der Kopf ein etwas flach gedrücktes Ansehen erhält; die Schnauze vor den Jochbogen stark zusammengezogen. — Die Nasenlöcher in dem nackten, ziemlich unbeweglichen Schnauzenende schief, seitlich und etwas nach vorn geöffnet, etwas nierenförmig, mit der hohlen Seite nach oben gerichtet, ihr hinterer Winkel abgeflacht, übrigens von nackten Wülstchen umgeben, deren vordere Theile die nackte Scheidewand bilden, welche durch eine Mittelfurche, welche bis auf das Zahnfleisch hinabverläuft, getheilt ist. Oben auf dem Schnauzenende, dicht hinter den Wülstchen verläuft die Behaarungsgränze convex, seitlich aber concav um die Nasenlöcher bis unter den mittlern vordern Theil der Wülstchen.

Der Mund unten gelegen, klein; die Mundwinkel etwas hinter der Mitte zwischen Schnauzenende und Auge gelegen, also dem Auge genähert. Die Lippen schlaff und fleischig, die Oberlippe gänzlich gespalten, aussen und innen behaart; die Untere über die Schneidezähne dehnbar, aussen und am Rande weisslich behaart. Jederseits am Mundwinkel inwendig eine drüsige, längliche Warze, die an 2 Linien lange, starre, gelblich-weisse Haare trägt. — Im Ganzen 19 Gaumenfalten. Auf dem Gaumen mitten in der Zahnlücke eine längliche, längsgekielte fleischige Falte, von einigermaassen spitz-dreiseitiger Gestalt, jedoch der hintere erhabene Rand dachig ausgeschnitten; hinter demselben 8 erhöhte Querfalten, von denen noch 3 in der Zahnlücke liegen: die vorderste, zweite breit, vorn flachbogig, hinten in Gestalt zweier auf der Mittellinie zusammenstossender, gesonderter Bogen begränzt; die vier folgenden von jeder Seite her in seichten Bogen stark nach hinten gekehrt auf der Mittellinie spitz zusammenlaufend; die siebente geschlängelt und mit ziemlich quergestellten Schenkeln, die von den Seiten her sich nur wenig nach hinten richten und dann in der Mitte mit einem seichten nach vorn gekehrten Bogen zusammenlaufen; auf der achten und neunten Falte verlaufen die Schenkel von jeder Seite her stark nach vorn, auch nach vorn convex und verbinden sich dann quer über den Gaumen in geschlängeltem seichtem, mittlern Bogen. Am ersten Backzahn entspringt vorn die fünfte, hinter sein drittes Prisma die sechste Falte; am zweiten Backzahn vorn die siebente, und zwischen ihm und dem dritten Backzahn die achte Falte; endlich am dritten Prisma des dritten Backzahns die neunte Falte.

Die Augen nach oben und seitlich sehend, klein, länglich und enggeschlitzt; ihre verlängerten Axen schneiden sich nach vorn über die Schnauze hinaus. Die Nickhaut röthlich, bis über das halbe Auge dehnbar.

Die Ohren fast von halber Kopflänge, mit dem Rande deutlich aus dem Pelz hervortretend, ziemlich gross, breit, ganzrandig, stumpf, ihr Umriss kreisbogig. Ihr Rand verläuft aussen an der Basis in einen kleinen, freien Lappen oder in eine Ecke. Am Innenrande unten eine wenig deutliche Incisur; hinter derselben verläuft der Rand in derselben Weise wie der übrige Rand bis an das erwähnte Läppchen; hier, hinter der Incisur steht innen auf der Oberfläche ein quer angewachsener, aufsteigender, abgerundeter Lappen von 2 Linien Länge und 1 Linie Breite, der das Ohr zum grössten Theil verschliessen kann. Der Ohrrand zwischen der vordern Incisur und dem hintern Läppchen sehr dehnbar, trägt viel zur Verschliessung des Ohrs bei. Uebrigens ist das Ohr einfach. Die Basis des Ohrs seitlich quer an den Kopf gewachsen, oben nur wenig nach vorn gerichtet. Das Ohr längs dem Rande innen mit bräunlichen Haaren besetzt, übrigens auf beiden Flächen nackt und nur mit einzelnen, weisslichen Härchen, besonders auf der äussern Fläche besetzt. Die Vibrissen reichen nach hinten gelegt bis auf die Ohrbasis, und sind in 5 Längsreihen gestellt; die untere hintere am längsten, und in der Endhälfte oder noch weiter weiss, an der Basis gleich den andern schwarzbraun. Ein verlängertes, schwarzes Haar über jedem Auge, und 2 verlängerte weisse Haare unten am Kinn.

Die Gliedmassen schwach; Arme und Beine zusammengedrückt; die Füsse und Zehen gestreckt, mit kleinen Schwielenballen, oben kurz und starr schwärzlichgrau behaart, unten nackt; die Zehen unten durch etwa 4 Quertheilungen geringelt; die Daumenwarze mit einem kurzen zusammengedrückten, stumpfen Nagel; die übrigen Krallen ziemlich stark, flach zusammengedrückt, unten etwas hohl, spitz, hornhell, mit der Basis etwas nach oben aufgewachsen. Vorn reicht der Daumnagel nur bis an die Zehenspalten; die beiden Mittelzehen weniger tief als die seitlichen gesondert; die zweite ist die grösste, die erste reicht nicht bis an deren Ballenbasis, die vierte noch weniger weit vor. Zwischen diesen 4 Zehen stehen auf der Sohle 3 kleine Schwielen; zwei andere, eine äussere und eine innere in der Gegend des Daumens; und eine sechste kleine Schwiele mitten auf der Handwurzel. Hinten ist der dritte Finger am längsten; die beiden seitlichen reichen bis über die Mitte seiner Kralle hinaus; der zweite tiefer als der vierte, der fünfte noch tiefer gesondert, reicht mit der Krallenspitze kaum bis an den Endballen des dritten, der erste bis an die Basis des dritten Fingers. Auf der Sohle an den Zehenwurzeln zwischen dem zweiten und fünften Finger stehen drei Schwielen, die äussere länglich, zieht sich bis auf den Daum herab. An der Stelle, wo der Daumen sich sondert, steht am vierten, hinter ihr auf der Mitte eine fünfte kleine Schwiele; eine obsolete dünn behaarte sechste weiter nach hinten auf der Sohle. An der Ferse einige starre dunkelgraue und weissgraue Haare.

Der Schwanz mässig lang, wenig verschmälert, von starren anliegenden Haaren bedeckt, die an der äussersten Spitze nur wenig länger sind, als auf den übrigen Schwanztheilen; die Schuppenringe verborgen, die Wirbelgränzen durch Wirtel längerer Haare schwach angedeutet; der Schwanz zweifarbig, oben schwarzbraun, unten scharf abgesetzt weisslich.

Das Körperhaar lang. Die Oberseite dunkel — braun mit schwarz melirt und mit einem Stich ins Roströthliche; an den Rumpfseiten und auf der Aussenseite der Beine blasser und mehr grau; die grauweisse Färbung der Unterseite, die bis auf die Oberlippe hinaufgeht, und sich über die Aftergegend verbreitet ziemlich scharf von der Färbung der Oberseite geschieden. Die Füsse dunkelaschgrau. Der Haargrund ist dunkelschwärzlichgrau; an der Oberseite sind theils schwarze Spitzen, theils $1\frac{1}{2}$ Linien lange, gelbbraune; auf der Unterseite sind die weisslichen Spitzen $\frac{1}{2}$ Linie bis 1 Linie lang.

Der Schädel ist hoch und schlank; die Jochbogen enger, die grösste Entfernung derselben hinter der Mitte, von der Mitte an nach vorn sehr einander genähert. Das Hinterhauptsloch ist etwas breiter als hoch, nach oben abgerundet und herzförmig verengt. Das Zwischenscheitelbein ist seitlich schräg abgestutzt, mit der durch die schiefe Abstutzung gebildeten Spitze schräg nach hinten und aussen gekehrt, so dass der grösste Querdurchmesser desselben das hintere Drittel des Längendurchmessers (des Durchmessers in der Längenrichtung des Kopfes) abschneidet. Der hintere Rand des Zwischenscheitelbeins verläuft in einen einfachen, flachen, convexen Bogen; die Mitte des Vorderrandes wird durch eine nach vorn vorstehende Spitze gebildet, von der jederseits der Rand in einen flachen, concaven Bogen verläuft bis an die durch eine deutliche Kante abgesetzten Seiten des Scheitels, von wo aus durch die schräge Abstutzung der Seiten des Zwischenscheitelbeins sich der Rand und die Spitze nach hinten und aussen wendet. Das Zwischenscheitelbein ist ungefähr doppelt so breit als lang. — Die beiden Zahnreihen im Oberkiefer divergiren nach hinten etwas; die einzelnen Zähne verschmälern sich nach hinten etwas. Die Zähne, deren in jedem Kiefer jederseits 3 stehen, aus scharfkantigen bis zur offenen wurzellosen Basis gesonderten Prismen zusammengesetzt, die alle um die Mittellinie der Zahnreihe alternirend gestellt sind, ausgenommen beim letzten Zahn im Unterkiefer. Der erste Backzahn im Oberkiefer besteht aus 5 geschlossenen und gesonderten Prismen: das erste Prisma ist nach Aussen und Innen durchgreifend, bildet nach Aussen und Innen auf der Seite des Zahns eine Längskante, deren stumpfere, äussere etwas rückwärts gekehrt ist; das zweite und vierte Prisma nach Innen gelegen, die freie scharfe Kante etwas nach hinten gerichtet; das dritte und fünfte Prisma nach Aussen gelegen, mit der freien und scharfen Kante etwas nach vorn gerichtet, die hintere freie Kante vor der Mitte des ersten Prismas des zweiten Zahns endend. Der zweite Zahn im Oberkiefer besteht aus 4 einfachen, geschlossenen Prismen: das erste Prisma nach Innen und Aussen durchgreifend, und mit der schärfern, äussern freien Kante etwas nach vorn gekehrt; das zweite und vierte Prisma nach Aussen gelegen, das zweite mit der freien äussern Kante etwas nach hinten, das dritte etwas nach vorn gerichtet; das dritte Prisma nach Innen, mit der freien innern Kante stark nach hinten gerichtet; die hintere freie Kante des vierten Prismas endet vor der Mitte des ersten Prismas des dritten Zahns. Der dritte Zahn im Oberkiefer besteht aus 6 gesonderten Prismen: das erste Prisma nach Innen und Aussen durchgreifend, mit der schärfern äussern Kante etwas nach vorn gerichtet; das zweite und vierte sehr klein, nach Aussen gelegen, mit der freien äussern Spitze schwach nach hinten gekehrt; das dritte und etwas kleinere fünfte nach Innen gelegen, die spitze Kante nicht merklich von der Querrichtung abweichend; das sechste Prisma nach hinten gekehrt, mit 3 deutlichen freien Kanten, von denen die schärfsten und niedrigsten nach Aussen, die etwas stärkere, schärfere etwas weiter rückwärts nach Innen liegt, und die dritte breit abgerundete nach hinten gekehrt ist. Auf den Seiten des ersten Zahns zählt man 3 äussere und 3 innere Kanten, auf den Seiten des zweiten Zahns 3 äussere und zwei innere Kanten, und auf der Seite des dritten Zahns 4 äussere und 4 innere Kanten nebst einer hintern abgerundeten Kante. — Die nach vorn gerichteten Flächen der Prismen im Oberkiefer sind convex, die nach hinten gekehrten concav gerundet; im Unterkiefer umgekehrt die nach vorn liegenden Seitenflächen der Prismen concav, die hintern convex. Der erste Backzahn im Unterkiefer zählt 7 Prismen, von denen aber die beiden ersten nicht gesondert sind, indem die Schmelzwände an der nach Innen gelegenen Bucht, die beide Prismen sondert, einander nicht berühren und die Zahnsubstanz hier durch einen schmalen Hals zusammenhängt; das erste dieser zerflossenen Prismen ist nach Aussen abgerundet, convex, auf der Innenseite nach vorn etwas eingebuchtet, das zweite nach Innen gelegen, mit der freien scharfen Kante kaum merklich nach vorn gerichtet; die folgenden Prismen sind gesondert, einfach: das dritte und fünfte nach Aussen gelegen, die scharfen Kanten nicht merklich von der Querrichtung abweichend; das vierte und sechste nach

et k_1, k'_1, $k_{,1}$, m_1, m'_1, $m_{,1}$, $\varkappa_1$, $\varkappa'_1$, $\varkappa_{,1}$, μ_1, μ'_1, $\mu_{,1}$, τ'_1, $\tau_{,1}$, q_1, π_1 les valeurs de k, k', $k_,$, m, m', $m_,$, $\varkappa$, $\varkappa'$, $\varkappa_,$, μ, μ', $\mu_,$, τ', $\tau_,$, q, π correspondantes à celles de g, h données par les équations

$$\left.\begin{array}{l}\beta = \varkappa\alpha + \lambda\\ \gamma = \mu\alpha + \nu\end{array}\right\}\ldots(20).$$

Cela posé, on aura pour les quantités absolues de lumière directe et indirecte envoyées dans l'oeil par la surface lumineuse, respectivement les formules

$$-\iint \frac{(m_0 - k_0 r - \xi)\,\vartheta\,\delta^2 q_0 \sqrt{da^2 db^2 + da^2 dc^2 + db^2 dc^2}}{t\tau(\alpha - a)^2 (1 + k_0{}^2 + m_0{}^2)^{\frac{3}{2}} \sqrt{1 + \ {}^2 + \eta^2}} \qquad (A)$$

et

$$-\iint \frac{(\mu_1 - \varkappa_1\ \ - \ )(k'_1 m_{,1} - k_{,1} m'_1)\,\vartheta\,\delta^2 \pi_1 q_1 \sqrt{da^2 db^2 + da^2 dc^2 + db^2 dc^2}}{t\tau(\varkappa'_1 \mu_{,1} - \varkappa_{,1}\mu'_1)(\alpha - \tau'_1)(\alpha - \tau_{,1})(1 + k_1{}^2 + m_1{}^2)^{\frac{3}{2}} \sqrt{1 + \xi^2 + \ {}^2}} \ (B),$$

dont le développement devra se faire au moyen de la relation donnée entre a, b, c, qui y sont seules variables, les limites des intégrales se rapportant, comme il est évident, aux limites mêmes de la surface lumineuse.

Afin d'appliquer ces formules au cas dont il s'agit ici, on observera d'abord que

$$a = e,\ b = f,\ c = g,\ k = k,\ m = m,\ g = k,\ h = m,\ \alpha = \varepsilon,\ \beta = \varphi,\ \gamma = \gamma,$$
$$\varkappa = (A - Be)k + Bf, \qquad \lambda = (C - De)k + Df,$$
$$\mu = (E - Fe)m + Fg, \qquad \nu = (G - He)m + Hg,$$

d'où

$$k' = 1,\ \ k_, = 0,\ \ m' = 0,\ \ m_, = 1,$$
$$\varkappa' = A - Be,\ \ \varkappa_, = o,\ \ \lambda' = C - De,\ \ \lambda_, = o,$$
$$\mu' = o,\ \ \mu_, = E - Fe,\ \ \nu' = o,\ \ \nu_, = G - He,$$

et par conséquent

$$\tau' = -\left(\frac{C - De}{A - Be}\right), \quad \tau_{,} = -\left(\frac{G - He}{E - Fe}\right).$$

Les équations (19) et (20) prenant actuellement les formes

$$\left.\begin{array}{l} \varphi - f = k(\varepsilon - e) \\ \gamma - g = m(\varepsilon - e) \end{array}\right\}$$

et

$$\left.\begin{array}{l} \varphi = [(A - Be)k + Bf]\,\varepsilon + (C - De)k + Df \\ \gamma = [(E - Fe)m + Fg]\,\varepsilon + (G - He)m + Hg \end{array}\right\},$$

dont la première donne

$$\left.\begin{array}{l} k = \dfrac{\varphi - f}{\varepsilon - e} \\ m = \dfrac{\gamma - g}{\varepsilon - e} \end{array}\right\},$$

et la seconde

$$\left.\begin{array}{l} k = \dfrac{\varphi - (B\varepsilon + D)f}{A\varepsilon + C - (B\varepsilon + D)e} \\ m = \dfrac{\gamma - (F\varepsilon + H)g}{E\varepsilon + G - (F\varepsilon + H)e} \end{array}\right\},$$

nous aurons donc

$$k_0 = \frac{\varphi - f}{\varepsilon - e}, \quad k'_0 = 1, \quad k_{,0} = 0, \quad m_0 = \frac{\gamma - g}{\varepsilon - e}, \quad m'_0 = 0, \quad m_{,0} = 1,$$

$$k_1 = \frac{\varphi - (B\varepsilon + D)f}{A\varepsilon + C - (B\varepsilon + D)e}, \quad k'_1 = 1, \quad k_{,1} = 0,$$

$$m_1 = \frac{\gamma - (F\varepsilon + H)g}{E\varepsilon + G - (F\varepsilon + H)c}, \quad m'_1 = 0, \quad m_{,1} = 1,$$

$$k_1 = \frac{(A - Be)[\varphi - (B\varepsilon + D)f]}{A\varepsilon + C - (B\varepsilon + D)e} + Bf, \quad \varkappa'_1 = A - Be, \quad \varkappa_{,1} = 0,$$

$$\mu_1 = \frac{(E - Fe)[\gamma - (F\varepsilon + H)g]}{E\varepsilon + G - (F\varepsilon + H)e} + Fg, \quad \mu'_1 = 0, \quad \mu_{,1} = E - Fe,$$

$$\tau'_1 = -\left(\frac{C - De}{A - Be}\right), \quad \tau_{,1} = -\left(\frac{G - He}{E - Fe}\right).$$

Si de plus on suppose que l'équation du plan de la prunelle soit simplement

$$x - \varepsilon = 0$$

et celle de la surface lumineuse

$$e - \alpha = 0,$$

(l'une et l'autre de ces surfaces étant ainsi un plan perpendiculaire à l'axe des x), on aura

$$\frac{1}{\xi} = 0\,, \quad \frac{\eta}{\zeta} = 0\,, \quad \frac{de}{df} = 0\,, \quad \frac{de}{dg} = 0$$

et

$$\sqrt{da^2\, db^2 + da^2\, dc^2 + db^2\, dc^2} = df\, dg \sqrt{1 + \frac{de^2}{df^2} + \frac{de^2}{dg^2}} = df\, dg\,.$$

Enfin soient, pour plus de simplicité, q et π constantes, c'est-à-dire indépendantes des variables a, b, c, g, h, d'où $q = q_0 = q_1$ et $\pi = \pi_1$.

Tout cela observé, la formule (A) se changera (le numérateur et le dénominateur étant divisés par ζ) évidemment en

$$\frac{\delta^2\, \vartheta\, q}{t\, \tau\, (\varepsilon - \alpha)^2} \iint \frac{df\, dg}{\left[1 + \left(\frac{\varphi - f}{\varepsilon - \alpha}\right)^2 + \left(\frac{\gamma - g}{\varepsilon - \alpha}\right)^2\right]^{\frac{3}{2}}},$$

c'est-à-dire

$$\frac{\delta^2\, \vartheta\, q}{t\, \tau\, (\varepsilon - \alpha)^2} \iint df\, dg \left\{ 1 - \tfrac{3}{2}\left[\left(\frac{\varphi - f}{\varepsilon - \alpha}\right)^2 + \left(\frac{\gamma - g}{\varepsilon - \alpha}\right)^2\right] + \tfrac{15}{8}\left[\left(\frac{\varphi - f}{\varepsilon - \alpha}\right)^2 + \left(\frac{\gamma - g}{\varepsilon - \alpha}\right)^2\right]^2 - \text{etc.} \right\},$$

expression, qui, en négligeant les termes dépendants des petites quantités $\frac{\varphi - f}{\varepsilon - \alpha}$ $(= k_0)$ et $\frac{\gamma - g}{\varepsilon - \alpha}$ $(= m_0)$, devient simplement

$$\frac{\delta^2\, \vartheta\, q}{t\, \tau\, (\varepsilon - \alpha)^2} \iint df\, dg$$

ou

$$\frac{\delta^2\, \vartheta\, q}{t\, \tau\, (\varepsilon - \alpha)^2} \cdot s\,,$$

s étant l'aire de l'objet lumineux.

De même la formule (B) prendra maintenant la forme

$$\frac{\delta^2\vartheta\pi q}{t\tau[(A-B\alpha)\varepsilon+C-D\alpha][E-F\alpha)\varepsilon+G-H\alpha]}\iint\frac{df\,dg}{\left\{1+\left[\frac{\varphi-(B\varepsilon+D)f}{A\varepsilon+C-(B\varepsilon+D)\alpha}\right]^2+\left[\frac{-(F\varepsilon+H)g}{E\varepsilon+G-(F\varepsilon+H)\alpha}\right]^2\right\}^{\frac{3}{2}}}$$

c'est-à-dire, en omettant, comme on vient de voir, les termes dépendants des petites quantités $\frac{\varphi-(B\varepsilon+D)f}{A\varepsilon+C-(B\varepsilon+D)\alpha}$ $(=k_1)$ et $\frac{\gamma-(F+H)g}{E\varepsilon+G-(F\varepsilon+H)\alpha}$ $(=m_1)$, simplement

$$\frac{\delta^2\vartheta\pi q}{t\tau[(A-B\alpha)\varepsilon+C-D\alpha][(E-F\alpha)\varepsilon+G-H\alpha]}\iint df\,dg$$

ou

$$\frac{\delta^2\vartheta\pi q}{t\tau[(A-B\alpha)\varepsilon+C-D\alpha][(E-F\alpha)\varepsilon+G-H\alpha]}\cdot s,$$

s étant le même qu'auparavant.

Si donc nous désignons respectivement par

$$Q_0 \quad \text{et} \quad Q$$

les quantités de lumière directe et indirecte envoyées actuellement dans l'oeil par l'objet lumineux, nous aurons les formules très simples

$$Q_0=\frac{\delta^2\vartheta qs}{t\tau(\varepsilon-\alpha)^2} \quad \text{et} \quad Q=\frac{\delta^2\vartheta\pi qs}{t\tau[(A-B\alpha)\varepsilon+C-D\alpha][(E-F\alpha)\varepsilon+G-H\alpha]}.$$

Les quantités de lumière directe et indirecte entrée dans l'oeil étant ainsi déterminées pour le cas dont il s'agit, la *clarté* avec laquelle l'objet donné se présentera à la vue, soit immédiatement, soit après des réfractions ou réflexions quelconques, pourra facilement se calculer. Nommant, pour le premier cas, l'étendue de l'image de l'objet sur la rétine J_0 et la clarté K_0 et, pour le second, ces mêmes quantités J et K, nous aurons

$$K_0=\frac{\theta Q_0}{J_0} \quad \text{et} \quad K=\frac{\theta Q}{J},$$

θ étant un coefficient constant dont il ne nous importe pas de connaître la valeur absolue. J_0 et J se déterminent sans difficulté au moyen des expressions

$$s_0=\frac{(\beta-\varepsilon)^2 s}{(\alpha-\varepsilon)^2} \quad \text{et} \quad s_1=\frac{(BC-AD)(FG-EH)(\beta-\varepsilon)^2 s}{[(A-B\alpha)\varepsilon+C-D\alpha][(E-F\alpha)\varepsilon+G-H\alpha]}$$

trouvées à la fin du §. VII pour les aires de la projection vraie et apparente de l'objet lumineux sur un plan quelconque perpendiculaire à l'axe des x. En effet, si l'on désigne par d_0 et d les distances respectives du centre de l'oeil à la rétine, lorsque l'objet est vu directement et indirectement, il est évident que J_0 et J peuvent être considérées comme n'étant autre chose que les valeurs de s_0 et s_1 respectivement correspondantes aux sommes $\varepsilon + d_0$ et $\varepsilon + d_1$ regardées comme valeurs de β. Donc

$$J_0 = \frac{(\varepsilon + d_0 - \varepsilon)^2 s}{(a - \varepsilon)^2} = \frac{{d_0}^2 s}{(a - \varepsilon)^2},$$

$$J = \frac{(BC - AD)(FG - EH)(\varepsilon + d - \varepsilon)^2 s}{[(A - Ba)\varepsilon + C - Da]\,[(E - Fa)\varepsilon + G - Ha]}$$

$$= \frac{d^2 s (BC - AD)(FG - EH)}{[(A - Ba)\varepsilon + C - Da]\,[(E - Fa)\varepsilon + G - Ha]},$$

et par conséquent

$$K_0 = \frac{\theta Q_0}{J_0} = \frac{\theta \delta^2 \vartheta q s}{t\tau(\varepsilon - a)^2} : \frac{{d_0}^2 s}{(a - \varepsilon)^2} = \frac{\theta \delta^2 \vartheta q}{{d_0}^2 t\tau}\ {}^{*)},$$

$$K = \frac{\theta Q}{J} = \frac{\theta \delta^2 \vartheta \pi q s}{t\tau[(A - Ba)\varepsilon + C - Da][(E - Fa)\varepsilon + G - Ha]} : \frac{d^2 s (BC - AD)(FG - EH)}{[(A - Ba)\varepsilon + C - Da][(E - Fa)\varepsilon + G - Ha]}$$

$$= \frac{\theta \delta^2 \vartheta \pi q}{d^2 t\tau (BC - AD)(FG - EH)}.$$

De ces valeurs de K_0 et K on tire

$$K = \frac{\theta \delta^2 \vartheta q . \pi {d_0}^2}{{d_0}^2 t\tau . d^2 (BC - AD)(FG - EH)},$$

ou

$$K = \frac{\pi {d_0}^2 K_0}{d^2 (BC - AD)(FG - EH)} \cdots (21),$$

relation très simple, qu'on doit regarder comme la formule fondamentale pour la comparaison, dans le cas d'angles d'incidence très petits, des clartés d'un objet, lorsqu'il s'offre immédiatement à la vue et lorsqu'il s'y présente à la suite de réfractions ou réflexions quelconques.

---

*) La valeur de K_0 se trouvant indépendante de $a - \varepsilon$ ou de la distance entre l'oeil et l'objet lumineux, on voit que, l'ouverture de l'oeil et la position de la rétine étant supposées constantes, la clarté de l'objet, vu directement, restera la même quel qu'en soit l'éloignement de l'oeil.

§. X.

Dans ce qui précède nous avons examiné l'ensemble des phénomènes visuels offerts, dans l'hypothèse adoptée, par un objet lumineux donné, sans avoir eu égard aux effets produits par des obstacles extérieurs, lesquels, — en interceptant une partie de la lumière qui se dirige vers l'oeil, — modifient souvent les résultats généraux que nous venons de déduire. Dans les cas où cela a lieu, c'est-à-dire où la lumière, soit directe soit indirecte, ne peut parvenir à l'oeil qu'en passant par des ouvertures données, il y a particulièrement deux circonstances, qu'il faudra éclaircir, pour compléter la connaissance des phénomènes optiques présentés par l'objet donné. La première regarde l'étendue de l'objet qui pourra s'offrir en même temps à l'organe de la vue, ou ce qu'on appelle *le champ de vision*; la seconde, la diminution que pourra souffrir *la clarté* de l'objet par l'interception d'une partie de la lumière, laquelle, sans les obstacles extérieurs, aurait pénétré dans l'oeil.

Pour soumettre au calcul l'une et l'autre de ces questions, que nous ne considérerons ici que par rapport à la lumière indirecte, on n'aura qu'à faire usage des formules mêmes déduites dans ce qui précède. Occupons nous d'abord de la détermination générale du champ de vision. Si l'on désigne par

$$\left.\begin{aligned} x &= \zeta \\ z &= \chi y \end{aligned}\right\}$$

les équations du contour de l'ouverture de laquelle dépend ce champ, et qu'on suppose que ce soit après un nombre donné p de réfractions ou réflexions que les rayons de l'objet passent par cette ouverture *), on aura d'abord, d'après le §. VI, pour les équations de ces rayons

---

*) Si quelqu'une des surfaces réfringentes ou réflechissantes passait par l'ouverture même dont il s'agit, on pourrait à volonté regarder la réfraction ou réflexion dûe à cette surface comme comprise ou non dans le nombre p. Il vaudra donc mieux, pour la simplicité du calcul, exclure dans ce cas-là cette dernière réfraction ou réflexion du nombre de celles qui entrent dans p.

$$\left.\begin{array}{l} y = k_p x + l_p \\ z = m_p x + n_p \end{array}\right\},$$

dans lesquelles il sera possible, comme on l'a ou au §. cité, de mettre $k_p \ldots n_p$ sous les formes

$$\left.\begin{array}{l} k_p = A'k + B'l \\ l_p = C'k + D'l \\ m_p = E'm + F'n \\ n_p = G'm + H'n \end{array}\right\},$$

où $A' \ldots H'$ ne dépendent pas de $k \ldots n$. La détermination du champ de vision se réduisant visiblement à celle de la ligne laquelle, sur le plan de l'objet, est le lieu géometrique de tous les points, qui jettent des rayons en même temps passant par l'oeil et par quelque point du contour de l'ouverture donnée, il est évident que, pour exprimer ces deux conditions, il n'y aura qu'à substituer dans les équations précédentes (14) d'abord ε, φ, γ au lieu de x, y, z, ce qui donnera les relations

$$\left.\begin{array}{l} \varphi = [(A - Be)\,k + Bf]\,\varepsilon + (C - De)\,k + Df \\ \gamma = [(E - Fe)m + Fg]\,\varepsilon + (G - He)\,m + Hg \end{array}\right\},$$

et puis (ε', φ', γ' étant les coordonnées d'un point quelconque du contour de l'ouverture) dans les mêmes équations ε', φ', γ' au lieu de x, y, z et A', B', .. H' au lieu de A, B, .. H, substitution qui conduira à

$$\left.\begin{array}{l} \varphi' = [(A' - B'e)\,k + B'f]\,\varepsilon' + (C' - D'e)\,k + D'f \\ \gamma' = [(E' - F'e)m + F'g]\,\varepsilon' + (G' - H'e)m + H'g \end{array}\right\}.$$

Ajoutant à ces équations les trois suivantes:

$$\left.\begin{array}{l} e = \alpha \\ \varepsilon' = \zeta \\ \gamma' = \chi\,\varphi' \end{array}\right\},$$

on aura sept équations, entre lesquelles on pourra éliminer e, ε', φ', γ', k et m, et d'où résultera par conséquent une équation finale en f et g, qui sera celle du contour cherché du champ de vision. L'élimination s'opérera le mieux de la manière suivante. Ayant remplacé dans les quatre premières équations e et ε' par α et ζ, on en chassera facilement k et m, ce qui donnera

$$\left.\begin{aligned}\frac{\varphi-(B\varepsilon+D)f}{(A-B\alpha)\varepsilon+C-D\alpha}&=\frac{\varphi'-(B'\zeta+D')f}{(A'-B'\alpha)\zeta+C'-D'\alpha}\\ \frac{\gamma-(F\varepsilon+H)g}{(E-F\alpha)\varepsilon+G-H\alpha}&=\frac{\gamma'-(F'\zeta+H')g}{(E'-F'\alpha)\zeta+G'-H'\alpha}\end{aligned}\right\}.$$

Ces équations conduisant à

$$\varphi'=\frac{[(A'-B'\alpha)\zeta+C'-D'\alpha]\varphi+[(A\varepsilon+C)(B'\zeta+D')-(B\varepsilon+D)(A'\zeta+C')]f}{(A-B\alpha)\varepsilon+C-D\alpha}$$

$$\gamma'=\frac{[(E'-F'\alpha)\ \ +G'-H'\alpha]\gamma+[(E\varepsilon+G)(F'\ \ +H')-(F\varepsilon+H)(E'\zeta+G')]g}{(E-F\alpha)\varepsilon+G-H\alpha},$$

que, pour abréger, nous écrirons sous la forme suivante:

$$\left.\begin{aligned}\varphi&=R+Sf\\ \gamma'&=T+Ug\end{aligned}\right\};$$

on aura enfin pour l'équation cherchée du contour du champ de vision

$$T+Ug=\chi(R+Sf).$$

De là on voit que, dans le cas de $U=S$, qui a toujours lieu lorsque

$$\begin{matrix}A=E, & B=F, & C=G, & D=H\\ A'=E', & B'=F', & C'=G', & D'=H',\end{matrix}$$

c'est-à-dire lorsque

$$\sigma=\varrho,\quad \sigma_1=\varrho_1,\quad \sigma_2=\varrho_2,\quad \text{etc.},$$

le champ de vision sera parfaitement *semblable* à l'ouverture dont il dépend. Il en sera de même, dans ce cas-là, de la *figure apparente* du champ de vision, puisque celle-ci n'est évidemment que la figure apparente de l'ouverture même, considérée comme objet de la vue, laquelle, suivant le §. VIII, dans le cas de

$$\sigma=\varrho,\quad \sigma_1=\varrho_1,\quad \sigma_2=\varrho_2,\quad \text{etc.},$$

est exactement semblable à sa figure véritable.

Lorsque les rayons indirects passent par plus d'une ouverture avant d'entrer dans l'oeil, le champ de vision total dépendant de toutes les ouvertures ensemble, se déterminera évidemment par celui de chaque ouverture considérée isolément. Il n'y aura donc, dans ce cas-là, qu'à déterminer par ce qui précède chacun de ceux-ci, pour avoir le problème résolu dans tous les cas possibles.

Des obstacles extérieurs, qui s'opposent au libre passage de la lumière, non seulement circonscrivent l'étendue visible de l'objet: ils peuvent encore diminuer la *clarté* avec laquelle il est apperçu. Pour évaluer l'influence à cet égard d'une ou de plusieurs ouvertures, par lesquelles doivent passer les rayons de l'objet, nous nous bornerons ici à la considération du cas, où toutes les ouvertures sont d'une forme à-peu-près semblable à celle de la prunelle, et placées de manière que chacune reçoive toute la lumière que comporte sa grandeur et celles des ouvertures antérieures, ensorte que ce ne sera que des grandeurs de celles-ci, et non de leur figure ni de leur position plus ou moins détournée, que dépendra l'interception possible de la lumière. Dans ce cas là il est visible que la question de savoir si la lumière de l'objet passe dans l'oeil librement ou non, et, dans ce dernier cas, combien il en passe, devra se résoudre par la comparaison de l'aire de la prunelle avec celles qu'occupe sur le plan même de cette ouverture la lumière transmise par chacune des ouvertures percées dans les obstacles extérieurs, puisque celles de ces dernières aires qui surpassent la prunelle, se rapportent évidemment à des ouvertures qui ne diminuent pas la clarté de l'objet, et celles qui en sont plus petites, à des ouvertures qui produisent cet effet, ensorte qu'il n'y aura qu'à déterminer la quantité de lumière relative à la plus petite de celles-ci, pour avoir celle qui actuellement sera passée dans l'oeil. Or, la comparaison de la grandeur de la prunelle avec les aires dont il s'agit, se réduit à celle de la quantité de lumière entrée dans l'oeil indépendamment des obstacles extérieurs avec la quantité transmise par chacune des ouvertures indépendamment des autres, et modifiée de la même manière que celle qui passe dans l'oeil, par la réflexion ou réfraction partielle, l'absorption et d'autres causes constantes, ce qui est facile à concevoir, puisque la densité de la lumière répandue sur les aires dont il s'agit, celle de la prunelle y comprise, étant la même pour toutes, ces aires-là seront visiblement entr'elles comme les quantités de lumière qui les éclairent, c'est-à-dire comme les quantités de lumière transmises par les ouvertures isolément et modifiées par les causes constantes de la même manière que la lumière portée jusqu'à l'oeil.

D'après ces remarques, pour évaluer l'influence des ouvertures sur la clarté, il n'y aura qu'à déterminer la quantité de lumière transmise par chacune d'elles, ce qui pourra se faire tout-de-suite au moyen de la formule

$$\frac{\delta^2 \vartheta \pi q s}{t \tau [(A - Ba) \varepsilon + C - Da] [(E - Fa) \varepsilon + C - Ha]},$$

qui, selon ce qui précède, exprime la quantité de lumière indirecte répandue par l'objet donné sur l'aire infiniment petite ϑ, dont les coordonnées sont ε, φ, γ et le plan perpendiculaire à l'axe des x. La formule dont il s'agit nous apprend évidemment que

$$\frac{\delta^2 \pi' q s . dk\, dy}{t \tau [(A' - B'a) \varepsilon' + C' - D'a] [(E' - F'a) \varepsilon' + G' - H'a]}$$

exprime la quantité de lumière indirecte répandue par le même objet sur l'élément infiniment petit $dx\, dy$ de l'ouverture considérée plus haut, π' étant le coefficient de la diminution de la lumière par les causes constantes pour les rayons dont les équations dépendent de $A' . . H'$. La quantité totale de lumière que pourra transmettre l'ouverture en question s'exprimera donc par

$$\iint \frac{\delta^2 \pi' q s . dx\, dy}{t \tau [(A' - B'a) \varepsilon' + C' - D'a] [(E' - F'a) \varepsilon' + G' - H'a]},$$

c'est-à-dire par

$$\frac{\delta^2 \pi' q s}{t \tau [(A' - B'a) \varepsilon' + C' - D'a] [(E' - F'a) \varepsilon + G' - H a]} \iint dx\, dy .$$

les limites des intégrales se rapportant au contour de l'ouverture. On aura par conséquent

$$Q' = \frac{\delta^2 \pi' q s \vartheta'}{t\tau[(A' - B'a)\varepsilon' + C' - D'a][(E' - F'a)\varepsilon' + G' - H'a]},$$

l'aire de l'ouverture étant désignée par ϑ' et la quantité totale de lumière qu'elle pourra transmettre par Q'.

On en pourra conclure que pour une autre ouverture

$$Q'' = \frac{\delta^2 \pi'' q s \vartheta''}{t\tau[(A'' - B''a)\varepsilon'' + C'' - D''a][(E'' - F''a)\varepsilon'' + G'' - H''a]};$$

et ainsi de suite.

Or, d'après ce qui précède, ce sont les quantités

$$Q, \quad \frac{\pi}{\pi'} . Q', \quad \frac{\pi}{\pi''} . Q'' \quad \text{etc.},$$

dont la comparaison nous fait connaître si la lumière entre librement dans l'oeil ou non, et, dans ce dernier cas, combien il en entre. Il n'y aura donc qu'à examiner les quantités

$$\frac{\vartheta}{[(A - Ba)\varepsilon + C - Da][(E - Fa)\varepsilon + G - Ha]}, \quad \frac{\vartheta'}{[(A' - B'a)\varepsilon' + C' - D'a][(E' - F'a)\varepsilon' + G' - H'a]},$$

$$\frac{\vartheta''}{[(A'' - B''a)\varepsilon'' + C'' - D''a][(E'' - F''a)\varepsilon'' + G'' - H''a]}, \quad \text{etc.},$$

qui ont entre elles le même rapport que Q, $\frac{\pi}{\pi'} . Q'$, $\frac{\pi}{\pi''} . Q''$, etc., pour parvenir à la connaissance dont il s'agit. Si le premier terme de cette série se trouve le plus petit, ou plutôt ne surpasse aucun de ceux qui suivent, la clarté de l'objet s'exprimera par l'équation précédente (21); mais si un autre terme quelconque de la série désigné par

$$\frac{\vartheta^{n)}}{[(A^{n)} - B^{n)}a)\varepsilon^{n)} + C^{n)} - D^{n)}a][(E^{n)} - F^{n)}a)\varepsilon^{n)} + G^{n)} - H^{n)}a]}$$

ne surpasse aucun des autres, on aura

$$Q = \frac{\pi}{\pi^{n)}} \cdot Q^{n)} = \frac{\delta^2 \pi q s \vartheta^{n)}}{t\tau[(A^{n)} - B^{n)}a)\varepsilon^{n)} + C^{n)} - D^{n)}a][(E^{n)} - F^{n)}a)\varepsilon^{n)} + G^{n)} - H^{n)}a]},$$

et par conséquent

$$K = \frac{\theta Q}{J} = \frac{\theta \delta^2 \pi q \vartheta^{n)} [(A - Ba)\varepsilon + C - Da] [(E - Fa)\varepsilon + G - Ha]}{d^2 t\tau (BC - AD)(FG - EH)[(A^{n)} - B^{n)}a)\varepsilon^{n)} + C^{n)} - D^{n)}a][(E^{n)} - F^{n)}a)\varepsilon^{n)} + G^{n)} - H^{n)}a]},$$

d'où il résulte que ce ne sera plus par la formule (21), mais par

$$K = \frac{\pi d_0^2 \vartheta^{n)} [(A - Ba)\varepsilon + C - Da] [(E - Fa)\varepsilon + G - Ha] . K_0}{d^2 \vartheta (BC - AD)(FG - EH)[(A^{n)} - B^{n)}a)\varepsilon^{n)} + C^{n)} - D^{n)}a][(E^{n)} - F^{n)}a)\varepsilon^{n)} + G^{n)} - H^{n)}a]},$$

que s'exprimera maintenant la clarté de l'objet.

Le calcul des principaux phénomènes visuels produits par des rayons réfractés ou réflechis sous des angles d'incidence très petits dépend, comme on le voit, particulièrement de la détermination des coefficients $A \,..\, H, A' \,..\, H'$, etc., laquelle, dans tous les cas, se fait sans difficulté au moyen des équations (7) et le procédé purement mécanique du §. VI. L'Optique analytique pour des angles d'incidence très petits se trouve donc réduite, par ce qui précède, à des opérations de calcul uniformes et générales, dont l'application à des cas particuliers ne pourra plus présenter aucune difficulté.

MONOGRAPHIAE ARTEMISIARUM

SECTIO I.

DRACUNCULI.

AUCTORE

WILIBALDO DE BESSER,

MEDICINAE DOCTORE.

(Conv. exhib. die 7. Januar. 1842.)

FASCICULUS I.

DE DRACUNCULIS GENERALITER ET DE FRUTESCENTIBUS IN SPECIE.

CHARACTER SECTIONIS.

Dracunculos primus ab *Artemisiis* separavit D. Henricus Cassini et exinde proprium statuit genus *Oligospori* nomine (*Bulletin philomath.* 1817, p. 33. *Dictionn. des Sciences natur.* Tome XXXVI. p. 25. *Opuscul. phytologiques,* T. II. p. 25) et eum secutus est cl. Lessing in *Synopsi generum Compositarum* (1832) p. 264 et characteribus sequentibus hoc genus distinxit: «Capitulum heterogamum, floribus staminigeris abortu ovarii sterilibus, foemineis uniserialibus. Achaenium obovatum, calvum, disco epigyno minuto. — Herbae per totum orbem terrarum dispersae, foliis alternis pl. varie pinnatifidis, capitulis parvis, paucifloris, luteis, spicatis, racemosis, vel in paniculam pyramidatam dispositis; involucris imbricatis, foliolis siccis, margine scariosis.«

Species huc spectantes auctor enumerat: O. *campestrem, condimentarium* (A. *Dracunculum* L.), O. *pycnocephalum* et *mexicanum.* *)

Studens meliori divisioni Artemisiarum, hocce genere recupatus, perveni ad divisionem quam in Synopsi Absinthiorum (*Bulletin de la Société Impér. des Naturalistes de Moscou l'an* 1829.) exposui, ubi genus Linnaeanum in duo genera, in Absinthium et Artemisiam, et hocce in tres sectiones dividi et Oligosporos nomine Dracunculorum **) salutavi. Serius agnovi *Absinthia* Gaertneri non posse distingui generice ab Artemisiis (vide *Praefat. ad Tentamen de Abrotanis* p. 6) in quibus cel. Candollius me est secutus.

Dracunculi itaque sunt Artemisiae receptaculo nudo; capitulis heterogamis; floribus marginalibus foemineis, uniserialibus, fertilibus; disci hermaphroditis, at abortu ovarii sterilibus.

Inhabitant Europam, Asiam, Africam borealem, Americam septentrionalem, Mexico in campos elatos Llanos de Perota usque. ***)

HISTORIA SPECIERUM.

Immortalis Linnaeus descripsit, in editione II. Specierum plantarum, tres species, scilicet *A. crithmifoliam, campestrem* et *Dracunculum*; nec plures in scriptis serioribus.

D. Lamarckius in Botanice Encyclopediae methodicae addidit duas species: *A. paniculatum* et *lanatam,* quam insequentes injuste neglixere.

---

*) A. mexicana ex observatione cel. Candollii, Gaji atque ex propria est Abrotanum.

**) Fateor carens tunc scriptis d. Cassinii et Dictionn. scient. natural., ex quo mihi amicus terminologiam Cassinii solum transcripsit, me ignorasse eum genus Oligospori condidisse; alias nomen ejus conservassem etiamsi Seriphidiis adhuc magis responderet.

***) Ex America et Africa meridionali et ex Australasia hucusque nullam vidi speciem.

D. Stechmannus adauxit numerum specierum, in sua dissertatione de Artemisiis, una: *A. italica*, quam d. L. B. Marschall a Bieberstein reproduxit nomine *A. inodorae*.

D. Gmelinus, in edit. XII. C. Linnaei Systematis naturae, inseruit duas species: *A. borealem* Pall. et *japonicam* Thunb.

D. Willdenovius introduxit, in Species plantarum a se editas, *A. salsoloidem* W., *odoratissimam* Desf., *glaucam* Pall. et *scopariam* W. et Kit.

D. Poiret, in Supplemento Botanices Encyclopediae methodicae, addidit, praeter *Willdenovianas* species, adhuc duas *Michauxianas*: *A. canadensem* et *caudatam*.

D. Willdenovii Enumeratio plantarum horti regii berolinensis continet quidem quatuor species novas: at revera tantum unica: *A. desertorum* Spr. nondum fuit descripta: nam *A. neglecta* Spr. est tantum var. *A. desertorum*; *A. inodora* W., non MB., spectat ad varietates *A. Dracunculi* et *A. albida* est eadem ac *A. italica* Stechm., sive *A. inodora* MB.

Adhuc infelicior fuit d. Sprengelius in Vol. III. edit. XVI. C. Linnaei Systematis Vegetabilium 1826 adito: nam e sex speciebus enumeratis tantum una est distincta etquidem *A. parviflora* Hamilt., *A. groenlandica* et *bargusinensis* sunt varietates *A. borealis*, *A. lednicensis* Roch. est *A. inodorae* MB. varietas, quam *A. Marschallianam* vocavit. Ejus *A. monosperma*, fide herbarii, spectat ad aliam sectionem.

Hisce in tractatu de Dracunculis 1834 scripto addidi sequentes *A. Koelreuterianam* mihi, *Halodendron* Turczan., *paucifloram* MB., non Stechm., (arenariam Del.) *glutinosam* Gay, *Jussiaeanam* Gay, *monospermam* Del., *Delilianam* mihi, *Tschernievianam* mihi, *Gayanam* mihi, *Ledebourianam* mihi, *sachaliensem* Tiles., *Nuttallianam* mihi, *glabratam* Wall., *Fontanesianam* mihi, *Ammanianam* mihi, *Jacquemontianam* mihi, *pubescentem* Ledeb., *commutatam* mihi, *pycnorhizam* Led., *nanam* Gaud. et *peucedanifoliam* Juss., atque in Supplemento 1836 edito quoque duas species *A. eriopodam* Bung. et *foetidam* Jacquem., quas adhuc modo sequuntur *A. Trautvetteriana* et *Bungeana* mihi, nec non *pycnocephala* Less. Cel. Candollius denique addidit *A. trichophyllam*, speciem 44.

VEGETATIO.

Radix plerumque lignescit, est apice simplex; unum tantum caulem promet in frutescentibus, suffruticosis et annuis; in herbaceis vero est multiceps; caeterum deorsum ramosa, at nec repens nec tuberosa.

Caules fruticosi, frutescentes, suffruticosi a. herbacei, indivisi, rarius basi, plerumque superne ramosi, erecti a. juniores decumbentes, dein adscendentes; si plures ex eadem radice, laterales patuli a. diffusi: teretes, striati, angulati a. subsulcati, leves, medio aeque medulla repleti.

Rami patuli a. patentes, alterni vel in quincunce spirali aeque ac folia dispositi sunt *).

Folia membranacea, rarius carnosa; simplicia (nulla vere composita) 1) integerrima (radicalia mixta apice varie divisis in *A. boreali Purshii*; caulina in multis e. g. *A. Dracunculo*, floralia et bracteae plurimarum), quae sunt linearia (in *A. boreali Purshii*), a. lanceolata (in *A. Dracunculo*), a. spathulata (in *A. desertorum* varietatibus) aut 2) divisa etquidem a) apice varie incisa (radicalia *A. borealis Purshii*, caulina *A. japonicae*, caulina et radicalia *A. desertorum Willdenovianae*) b) ad medium trifida a. trisecta (*A. Ammanianae, A. Tschernievianae*), a. multisecta (*A. lanatae Lamk.*); c) a lateribus s. pinnatifida (inferiora *A. Tschernievianae*, *trichophyllae* caulina), a. pinnatisecta (*A. peucedanifoliae*), a. bipinnatisecta (*A. variabilis, scopariae*);

---

*) Dr. Alex. Braun in Novis Actis physico-medicis Academ. Caes Leopold. naturae curiosorum Bonnens. T. XV. p. 197. MDCCCXXXI cum tab. in tractatu: «Vergleichende Untersuchung über die Ordnung der Schuppen an den Tannenzapfen, als Einleitung zur Untersuchung der Blattstellung» exprimit spiralem qua folia Artemisiae Absinthii sunt inserta, fractione $^5/_{13}$ **) Num folia omnium Artemisiarum eodem modo sunt inserta? Ipse examinavi A. vulgarem.

**) M. J. A. Guillemin Archives de Botanique T. I. fasc. 4. p. 329. Paris MDCCCXXXIII.

d) ad basin usque s. partita et quidem laciniis indivisis (*A. monospermae*), a. lacinia media pinnati- a. bipinnatisecta (*A. Ledebourianae*, *A. scopariae*), a. tripartito-multifida (*A. lanatae*). Laciniae laterales, stipulas saepe simulantes, atque segmenta foliorum varie divisorum nec non folia floralia sunt linearia, subcuneata a. lanceolata. Nullam hucusque novi speciem integrifoliam latifoliam. Folia radicalia et caulina inferiora, rarius superiora sensim transeunt in petiolum (qui revera est rhachis continuata) linearem qui affigitur cauli basi aequali aut dilatata et tunc sunt semiamplexicaulia.

Inflorescentia est centripeta et spica simplex (in *A. boreali Purshii*), ramosa (in *A. boreali Schangini*), quae transit in formam paniculatam (in *A. Koelreuteriana*), a. racemus simplex (in *A. nana*), a. ramosus (in eadem specie culta), hi fiunt paniculati (in *A. arenaria*). Quisque pedicellus etsi brevissimus fulcratur folio florali, in nonnullis sunt bracteolae in medio (*A. arenariae*), in aliis in apice s. ad basin capituli (*A. monospermae, paniculatae*).

Capitula sunt globosa, hemisphaerica, ellipsoidea, ovoidea a. oblonga, plerumque sunt parva a tribus quadrantibus lineae ad duas lineas longa; a dimidia ad sesquilineam diametri. Maximum capitulum in hac sectione fert *A. pycnocephala*, quod est hemisphaericum, trium linearum diametri.

Involucri squamae sunt imbricatae et formant tres verticillos, singulo quandoque e tribus solum, in aliis speciebus e pluribus squamis composito, basin involucri tegunt saepius praeterea bracteolae magis foliaceae. Magnitudo earum imminuitur ab interioribus versus exteriora. Forma squamarum est subrotunda, ovata, elliptica, imo elliptico-lanceolata; nunc sunt omnes unius formae, nunc squamae exteriores sunt acutiores a. obtusiores: extimae in nonnullis speciebus carnosae et plus minus gibbosae inveniuntur.

Flores flavi, lutei a. rosei, foeminei a duobus ad octo frequenter (attamen duodecim in *A. pubescente*, quindecim in *A. Ammaniana*, viginti et unus in *A. Nuttalliana* et multi in *A. pycnocephala*), filiformes, cylindrici.

cylindracei, ovales; plus minus basi a. medio inflati, ore trilobo a. fisso apice tridentato. Stigmatis rami stylo plus minus elati, cylindrici, plerumque recurvantur et adaequant a. superant involucrum. Ovarium est compressum, obovato-lanceolatum, saepissime striatum. Flores masculi a tribus ad novem (attamen in *A. pubescente* decem, in *A. Ledebouriana* sexdecim, in *A. canadensi* viginti quatuor, in *A. pycnocephala* multi), ut plurimum clavati, apice quinquelobi, lobis acutioribus a. obtusioribus. Stamina infra medium corollae inserta, tubus antherarum cum connectivo obtuso corolla brevior.

Achaenium obovato-lanceolatum, compressum, striatum, parum obliquum, h. e. quod margo exterior sit superne magis rotundatus quam interior. In nonnullis speciebus corolla super apicem achaenii retrahitur, quem tunc tegit (vide tab. 3. fig. 3). Hanc observationem quoque oculatissimo Hochhuthio debeo.

Receptaculum nudum, plus minus convexum, areolatum.

Vestitus indoles est quadruplex: herba enim aut pilis brevibus adspersa, colore caeterum immutata, aut tomento brevi vel brevissimo incana, vel candida, aut sericea, aut interdum villo breviore longioreve, densiore v. rariore tecta.

Odor et *sapor.* Pauci Dracunculi sunt odorati aut graveolentes, foetet *A. foetida* Jacquem., odoris cannabini est *A. Jacquemontiana.* Sapor acris at gratus est *A. Dracunculi.* Inodori sunt et insipidi *A. salsoloides* et *Dracunculus β. inodora.*

TABULA ANALYTICA
SPECIERUM
DRACUNCULORUM
FRUTESCENTIUM.

1. macrolepidei s. Dracunculi veri [1]) (3
2. cyclolepidei s. parviflori [2])
3. frutescentes 1. (7—64) [3])
4. perennes 1. (65
5. suffructicosi 4. (65
6. herbacei 4. (....)
7. folia tri-quinquesecta 3. (9—16)
8. folia pinnatisecta 3. (17—64)
9. ad basin usque 7. (11—14)
10. ad medium usque 7. (15. 16)
11. involucris laevibus 9. (13. 14)
12. involucris tuberculatis 9 ....* *monosperma* [4])
13. lacinia media foliorum bipinnatisecta 11....... 1 Koelreuteriana Bess.
14. lacinia media foliorum semel a. bis trisecta 11........* *lanata* [4])
15. laciniis foliorum quinque-multisectis 10 ....* *Tschernieviana* [4])
16. laciniis foliorum indivisis rarius bi-trisectis 10 ....2 salsoloides W.
17. folia plurima 8. (19—62)
18. folia inferiora solum 8. (63. 64)
19. laciniis divisis 17. (21—48)
20. laciniis indivisis 17. (49—62)
21. trifidis 19. (23—26)
22. pinnatifidis a. sectis 19. (27—62)
23. elongatis (glaucis) 21 .... 3 Halodendron Turcz.
24. brevibus 21. (25. 26)
25. viridibus, fasciculorum trifidis 24 ....* *Tschernieviana* [5])

26. incanis, fasciculorum tripartito-multisectis 24 . . . . 4 lanata Lamk.
27. inflorescentia paniculata 22. (29—48)
28. inflorescentia spicata (spica ramosa) 22 . . . . * *pycnocephala* [5])
29. panicula stricta a. patula 27. (31—40)
30. panicula patente 27. (41—48)
31. fol. segmentis linear., a. cuneatis (floral. subnullis) 29 . . 5 Trautvetteriana Bess.
32. foliorum segmentis linearibus a. filiformibus 29. (33—48)
33. elongatis laxis 32. (35, 36)
34. brevibus (carnosulis) rigidis 32. (47 48)
35. floralibus patentissimis subelongatis: (involucri squamis exterioribus membranaceis) 33 . . . . 6. variabilis Ten.
36. floralibus patulis brevibus 33. (37—40)
37. involucri squamis exterioribus carnosis gibbis (panicula strictissima) 36 . . . . 7 paniculata Lamk.
38. involucri squamis exterioribus membranaceis 36. (39—40)
39. caulibus florentibus ramosis (panic. patula) 38 . . . . 8 arenaria DeC.
40. caulibus florentibus indivisis (panicula subspicata) 38 . . . . . * *Bungeana* [6])
41. folior. (parvulorum) lacinulis subulatis inaequalibus 30 . . 9 odoratissima Desf
42. foliorum (mediocrium) lacinulis linearibus subaequalibus 30. (43—46)
43. squamis involucri exterioribus carnosis 42. (45—46)
44. squamis involucri exterioribus membranaceis 42 . . . . * Jussieana [7])
45. capitulis approximatis subglomeratis 43 . . . . 10 glutinosa Gay.
46. capitulis distantibus paucis 43 . . . . 11 Tschernieviana Bess.
47. caule decumbente 34 . . . . * odoratissima [8])
48. caule erecto 34 . . . . * variabilis var. β
49. capitulis sessilibus a. subsessilibus 20. (51—60)
50. capitulis (longius) pedicellatis 20. (61. 62)
51. foliorum segmentis lineari-filiformibus 49. (53—58)
52. foliorum segmentis lineari-lanceolatis 49 . . . . * Trautvetteriana [4])
53. foliis floralibus patentissimis subelongatis 51 . . . . *) variabilis [4])
54. foliis floralibus patulis brevibus 51. (55—60)
55. involucri squamis exterioribus carnosis obtusis 54. (57. 58)
56. involucri squamis exterior. membranaceis acutis 54. (59. 60)
57. panicula strictissima 55 . . . . * paniculata [4])

58. panicula patula 55 .... *glutinosa 4)
59. capitulis spicatis, foliis rameis trifidis 56 .... 12 Jussicana Bess.
60. capitulis racemosis, foliis rameis indivisis 56 ...... *salsoloides var. β
61. capitulis oblongis (panicula patentissima conferta) 50 .. 13 monosperma Del.
62. capitulis globosis (panicula patente pyramidata) 50... 14 Deliliana Bess.
63. laciniis patulis 18 .... *Tschernieviana
64. laciniis divergentibus 18 .... *crithmifolia 9).

---

1) et 2) Cel. Candollius in Prodr. Syst. nat. Regn. Veg. P. VI. p. 93 mutavit divisionem Dracunculorum a me in tractatu de Dracunculis p. 8 propositam (in *polycarpeos*, qui pluries fructificant et *monocarpeos*, s. species annuas a. biennes), in *Dracunculos veros* capitulis majusculis, ovatis, involucri squamis oblongis, — species omnes frutescentes a. perennes — et *parvifloros* capitulis parvis, globosis, involucri squamis orbiculatis concavis glaberrimis, — species annuae, biennes, perennes et frutescentes. Cum in secundam divisionem intrat *A. canadensis* capitulis majusculis instructa, puto, ut omnis contradictio evitetur, melius esse appellare has divisiones a forma squamarum involucri: priorem macrolepideos et secundam sectionem cyclolepideos. Illi sunt omnes polycarpei, hi sunt poly- et monocarpei.

3) Numeri postpositi sunt duplicis significationis: primus indicat divisionem, a qua haec provenit, et numeri inter parenthesin illustrant divisiones ex hac sequentes; e. g. post numerum initialem 16 (laciniis foliorum indivisis, bi-trisectis) est numerus 10; post numerum 10 initialem legimus 7 (15. 16), post 7 numeros 3 (9—16), post 3 numeros 1 (7—64) et post numerum 1 est tantum numerus secundi ordinis (3—64). Ex hisce discimus A. salsoloidem (16) esse Dracunculum macrolepideum (1) frutescentem (3) foliis tri-quinquesectis (17) ad medium usque (10). Aut vice versa habeo ante oculos Artemisiam sectionis Dracunculorum macrolepideam frutescentem. Vide n. 3, ubi videmus n. 7—64, seu seriem numerorum, inter quos haec Artemisia est quaerenda. Folia ejus sunt ad medium usque trisecta. Talium mentio est sub numero 7 et 10 et numeri inclusi indicant hanc speciem esse quaerendam inter 15 et 16. In priori sunt laciniae quinque-multisectae, in hac indivisae vel bi-trisectae; ergo est A. salsoloides.

4) Nomina Artemisiarum antecessa asterisco locum per exceptionem occupant. Si numerus 4) est appositus, tunc defectum foliorum inferiorum indicat.

5) Si folia inferiora et caulina desunt.

6) Si dubium est, anne potius ad frutescentes referenda foret.

7) Ob pinnas inferiorum foliorum rarius bi-trifidas.

8) Si planta uberior, magis evoluta.

9) E Lamarckio frutex.

§. 1. *Dracunculi macrolepidei.*

a. frutescentes.

α. FOLIIS TRI-QUINQUESECTIS.

1. **ARTEMISIA KOELREUTERIANA** Bess. (tab. 1.)

A. frutescens, tomento brevissimo canescens; foliis subnudis; caulinis semiamplexicaulibus, tri-quinquepartitis, lacinia media subbipinnatisecta, segmentis lineari-filiformibus; capitulis racemosis paniculatis hemisphaericis; paniculae ramis subcernuis; involucri squamis interioribus obovatis scariosis (mihi). De Cand. Prodr. Syst. nat. Regni Veget. VI. p. 93. n. 1.

A. frutescens, calathidiis racemosis paniculatis, hemisphaericis; paniculae ramis subcernuis; periclinii squamis interioribus obovatis, scariosis; foliis subnudis; caulinis semiamplexicaulibus, tri-quinque-partitis, lacinia media subbipinnatisecta; segmentis filiformibus Bess. Dracunc. p. 16 n. 1.

Radix ...

Caudex... Hujus speciei adsunt solum ramus florens, patulus, rectus, sesquipedalis, vix lineae diametri, et alter sterilis, foliosus, spithamaeus; ambo lignosi, teretes, sat rigidi et tomento brevissimo canescentes, ramulis junioribus imo albidis.

Folia inferiora desunt; media sunt vix semipollicaria, quinque-tripartita, lacinia media subbipinnatisecta, lateralibus, stipulas aemulantibus, vix duplo longiore; hae variae sunt divisae, tri-bifidae a. indivisae, ut fere insimul folium *Ranunculi aquatilis rigidi* in memoriam vocent. Segmenta sub lente vitrea adaucta sunt linearia, canaliculata, obtusa.

Inflorescentia est panicula simplicissima, vix spithamaea; ramuli inferiores sesquipollicares, cum apice caulis cernui.

Capitula subglobosa, fors unius lineae diametri (jam omnia fuere deflorata), pedicellata, cernua.

Pedicelli inferiores vix dimidium capituli aequantes.

Involucri squamae interiores obovatae, scariosae; exteriores bracteolae lineares obtusae integrae. Involucra aperta vix sesqui lineae diametri.

Flores . . .

Achaenium . . .

Receptaculum parum convexum.

Patria ignota, at supponendum hanc speciem provenire e Sibiria orientali aut e Kamtschatka, dum haec speciminula fuere inter reliquias Stellerianas herbarii Imperatoriae Academiae scientiarum Petropolitanae.

Icon repraesentat ambo specimina et folium sub lente adauctum.

Observatio. Adeo similis est primo intuitu *Seriphidio arragonensi* huicque affinibus, ut illis eam adjungere tentatus fuissem, nisi vestigia florum foemineorum marginalium et ipsa forma hemisphaerica involucri, illis fere aliena, hanc removere jusserit: eam vero potius huc quam ad Abrotana spectare, etiamsi flores examinare non licuerit, praeprimis hanc ob causam judico, quod foveolae ad marginem receptaculi de fructuum insertione testentur et exinde concludendum, in medio disci esse flores masculos steriles.

2. **ARTEMISIA SALSOLOIDES** Willd. (tab. 2.)

A. frutescens, glaberrima; foliis subcarnosis, glaucis, tri-rarius quinati-sive pinnatisectis, laciniis indivisis bi-trisectis, summis indivisis et segmentis linearibus; capitulis racemosis, paniculatis, ellipsoideis; paniculae oblongae ramis saepissime brevissimis; involucri squamis exterioribus ovatis, subfoliaceis, interioribus ellipticis, margine nitidis (mihi). De Cand. Prodr. Syst. natur. Regn. veget. P. VI. p. 94 n. 2.

A. frutescens; calathidiis racemosis, paniculatis ellipsoideis; paniculae oblongae ramis brevissimis, periclinii squamis ovatis ellipticisque, lateribus nitidis; foliis glabris, glaucis, infimis quinque-, mediis trifidis, summis indivisis, laciniisque linearibus acutis. Bess. Dracunc. p. 17, n. 2. — A. salsoloides Willd. Spec. pl. T. III. P. 3. p. 1832, n. 38. Herb. n. 15,382. Persoon Synops. P. II. p. 411, n. 40. Spreng. Syst. Veg. III. p. 489, n. 30.

A. foliis linearibus, inferioribus trifidis, superioribus integris. Gueldenst. Reise durch Russland. I. Th. p. 72.

A. linearis. Item p. 113. II. Th. p. 282 (D. L. B. Marschall in lit.)

Radix . . .

Caudex lignosus, distortus, diffusus, 2 ad 4 pollicum longitudine, crassitie ad summum pennae anserinae fortioris, teres, cortice inaequali, inaequaliter striato a. fisso, pallide et sordide lutescente tectus. E gemmis ad basin caulis deflorati oriuntur caules novi herbacei, florentes aut steriles, teretes, sulcato-striati, brunnei, nitentes, semi- ad sesquipedem alti, e basi patula erecti, foliosi, indivisi.

Folia adsunt nonnisi in caulibus annotinis, glauca, carnosula, erecta a. patula, circiter pollicaria, trisecta *), exceptis summis semper indivisis, laciniis linearibus acutiusculis $^1/_6$ — $^1/_3$ linea latis. In aliis speciminibus fere omnium foliorum laciniae laterales ambae a. una alterave, aut media, a. omnes insimul sunt iterum bi-trisectae a. mediae trisectae; segmenta lateralia sunt bifida; hinc, si tantum media lacinia est trisecta, oritur folium quinati- vel pinnatisectum et si omnes tres sunt trisectae, habemus folium biternatisectum aut erit folium

---

*) Praefero terminum *folii trisecti* ei *folii trifidi*, cum folium infra divisionem sit ejusdem latitudinis ac laciniae singulae: et nulla ratione *tripartita* dici queunt, si partitio sectionem folii ad basin usque indicat; neque possum appellare lacinias foliorum dissectorum a. fissorum *lobos*, quorum significatio est diversissima.

irregulariter dissectum. Folia floralia sunt constanter indivisa et gradatim minora, raro paniculae ramos adaequant.

Inflorescentia. Panicula oblonga, racemosa, 2 ad summum — in spontaneis — 5 pollicum altitudine, dimidii vix totius pollicis diametri. Rami plerumque brevissimi, semipollicares, subaequales; rarius inferiores aut unus e superioribus reliquis duplo longiores. Cultura panicula fit pedalis, pyramidata, ramis inferioribus tunc semipedalibus, in specimine vero in territorio Isjum prov. Charkoviensis a cl. Tscherniajevio lectò paniculae rami sunt fastigiati tri-quadriunciales.

Capitula sunt pedicellata, infima pedicello 2 lin. longo fulta, summa subsessilia, ut in apicibus ramorum conglomerata appareant, numero trium ad septem frequenter in singulo ramo, rarius plura, ellipsoidea, $^5/_4$ lineae ad duas lin. longa, $^3/_4$ ad $^5/_4$ lineae diametri; depauperata in solo nimis sterili sunt oblonga; cultae vero ad sesquilineam crassa.

Involucri squamae exteriores minores, ovatae, foliaceae, margine nitidae; interiores ellipticae, denticulatae, lateribus scariosae. In capitulis adultioribus involucra tota straminea, nitida.

Flores in ambitu quatuor v. sex foeminei (3—4 Lessingio). Corolla tubulosa, superne paulisper amplior, triloba, tubo basi flexuoso, ut bis in latera opposita flectetur. Stigmatis rami cylindrici, reflexi. Flores masculi sex v. octo (6—7 Lessingio; at specimina ejus sat misera: in herbario Willdenoviano, vix 7—8 pollicum) Corolla clavata, ovarii rudimento brevissimo quasi stipitata, tubo basi parum inflata, apice flava, quinque lobis ovato-lanceolatis terminata.

Achaenium . . .

Receptaculum hemisphaericum, areolatum.

Varietates sequentes sunt distinguendae:

α. normalis, foliis caulinis omnibus solum trisectis (Iconis nostrae figura 2). A. salsoloides Willd. A. linearis Gueldenst.

β. heterophylla, foliorum laciniis varie divisis (Iconis nostrae fig. 1)

γ. longifolia, foliis ultra bipollicaribus. (Iconis nostrae fig. 5)

δ. fastigiata, paniculae ramis subfastigiatis.

Patria. A monticulis cretaceis Ucraniae h. e. provinciae Charkoviensis (cl. Tscherniajev) incipiendo, per deserta prov. Woronesch (Idem), inter Tanain et Wolgam (D. Tauscher), a Saratovia (Ill. Steven) ad Astrachanum (D. L. B. Marschall), usque et ultra circa coloniam Norka (D. Tauscher), usque Orenburgum (D. Karelin). In deserto caspico (de quo conferas D^{ris} Fr. Goebel's Reise in die Steppen des südlichen Russlands. Dorpat 1838. VII. Abschnitt des 2. Theils von Dr. Claus, über die Flora und Fauna der Caspischen Steppe von S. 216 bis 322) cl. Dr. Claus eam non legit; nec Caucaso appropinquat: nam de ea silet cl. Dr. C. A. Meyer (Verzeichniss der Pflanzen, welche während der, auf Allerhöchsten Befehl in den Jahren 1829 und 1830 unternommenen Reise im Caucasus und in den Provinzen am westlichen Ufer des caspischen Meeres gefunden und eingesammelt worden sind). Nec probabile est hanc Artemisiam occurrere in Sibiria, uti Willdenovius l. c. asserit: nam specimina in ejusdem herbario sunt e cretaceis ad Tanain et ex colonia Norka; dein Ill. a Ledebour nullam ejus mentionem facit in Flora Altaica. Limes itaque septentrionalis videtur esse Saratovia ad Wolgam superiorem et montes Guberlinscenses ad Uralem meridionalem, ubi cl. Lessingius eam legit (vide Linnaea cl. de Schlechtendal Vol. IX. A. 1834 fasc. II., ubi de Flora Uralis meridionalis et desertorum adjacentium disserit); limes meridionalis mare Caspium, occidentalis Ucraniae prov. Charcoviensis atque orientalis Orenburgum. Varietas *α.* est magis occidentalis; *β.* vero potius orientalis, ad Wolgam et trans Wolgam usque Orenburgum. Varietas *γ.* est ex

Ostrogorsk ad Tanain in provincia Woronesch, varietas δ. denique e provincia Charkoviensi.

